DISSERTATIO
DE
CEREMONIIS
Ecclesiæ Anglicanæ,

Quâ usus earum licitus ostenditur & à Superstitionis & Idololatrię crimine vindicatur.

Auctore GEORGIO RITSCHEL. Hexamiæ in Northumbriâ Ministro.

πάντα εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν γινέσθω. 1 Cor. 14. 40.

Londini, Excudebat *R. White*, Impensis *Jos. Nevil* ad insigne Aratri in Cæmeterio Paulino, 1661.

Reverendiſsimo in Chriſto Patri, JOANNI COUSINO, Epiſcopo Dunelmenſi, *Felicitatem!*

EA noſtri eſt calamitas ſeculi, Reverendiſſime Pater, ut inter partes, quæ Chriſto nomina dederunt, dum in conſervandâ aut ſuo nitori reſtituendâ Religione univerſas zeli vires effundunt, Religionem ipſam in Religionis patrocinio, ſicut acutus ille Hiſtoriæ Romanæ Scriptor *Samnium in ipſâ Samnio*, non injuriâ quis requiſiverit. Nam cum Religio ſit puro corde colere Deum, atque ſincero amoris affectu ſingula Chriſti membra complecti; à ſanitate rationis utique abhorret, ſacra illa bella, quibus orbis conflagrat; illa animorum

morum zeli amaritudine æstuantium certamina atque motus; Censurarum illam, quibus se mutuò vexant, confodiunt & excludunt, crudelissimam iniquitatem inter Religionis Christianæ opera numerare. Nempe in fundamento, quod vocant, Fidei plerique consentiunt: in formandis secundum philosophicas subtilitates Quæstionum apicibus contraria in studia scinduntur; aut abeunt in diversum, cum Controversiæ quædam præter Fundamentalia proferuntur in medium. Quæ Idola sive spectûs sive fori, ut illustrissimus Auctor vocare amat, dum ornate quisque molitur, nec Dianæ, cujus amore deperiit, gloriæ quicquam detrahi ab aliis patitur, quin omnibus colendam obtrudere parat; hinc factum est, ut dissentientium ardor Ecclesiæ compagem laxarit, & extinxerit Charitatis Christianæ ignem atque Religioni latam stragem dederit. Hinc tuta timere simpliciter dicta scrupulosâ suspicione obruere & vexare, superbo supercilio, quicquid palato delicatulo non arridet, fastidire & contemnere, inter conser-

vand-

vandæ Religionis tuendæque ſinceritatis ejus artes habetur: quas quidam tum demum Spiritu auram adflante ſe feliciter tractaſſe autumant, cum ad congerenda maledicta & opprobria promptam audaciam ſub zeli amabili nomine attulerunt, atque in hoſtes ingenti Animorum impetu & Cyclopica barbarie, nullâ perſonarum, quibuſcum ipſis res eſt, ratione habitâ ferociter inſurrexerunt. Quam ſeculi infrunitam improbitatem quòd invidioſis verbis ſupra verum fidemque minimè augeam, triſtiſſimus Eccleſiæ Anglicanæ ſtatus documenta dedit. Nempe indoctiſſimus quiſque oracula nova non fundere, ſed evomere: revocata ab inferis protrudere in lucem: Antiquitatis venerandâ canitie ſe commendantia pro Antichriſtianis habere & ſuperbo pede conculcare: in eo omnes ingenii collocare vires, ut ab aliis novo quodam habitu à prurientis ingenii libidine efficto internoſceretur. Quæ mala licet in Eccleſiâ latiſſimè dominentur, atque Chriſti vineam infeſtare maximiſque afficere incommodis non deſinant,

inter tamen Partes ſunt, qui non gloriam & commoda mundi, non libidinem animi, ſed conſcientiam in conſilio habentes Veritati bellum indixerunt; quod vita ipſorum cætera ad leges Chriſti ſibi perſpectas diligenter compoſita ſatis teſtatur. Nam ſicut flagrare invidiâ, & Spirituali faſtu turgere, atque contemnere tanquam impuros canes diſſentientes, datamque fidem fallere, & mendaciis alios decipere, Legemque illam Regiam Chriſtianæ Charitatis contra rationis dictamen violare, paroxyſmi ſunt Conſcientiæ minimè Teneræ, quæ Diſciplinæ Chriſti hærens quicquam admittere trepidet, quod lege prohiberi perſuaſum habet; ſed ſunt argumenta Animi facultate diſcretrice deſtituti, & adverſus lucem ipſam armati: Ita ſi cui Religio eſt vel minimam legem violare, quam à Deo protectam putat, qui ſcrupuloſo anxioque timore ſingula circumſpicit & inquirit, ne venenum forſan pro cibo imprudentiori aviditate arripiat, paratus in poteſtate eſſe recta ſuadentium, neque ſolo Voluntatis propoſito, ſed rationum

quarundam umbra latus tegens Veritatem bello perſequitur; eum inter Infirmos non dubito referre omni animi manſuetudine habendum, ſuſtinendum, inſtruendum. Nam ut illius Conſcientia profligata & perdita ad opinandum quidvis dicendumque proruptâ audacia fertur: Ita Infirmus lento gradu incedit ſingula, quantum valet, examini ſubjiciens, ne à vero in tranſverſum abreptus ſuam per errorem Conſcientiam peccato proſtituat. Hoc hominum piorum genus diſſertatio mea aggreditur, atque ab errore & ſuperſtitione negativâ conatur liberare. Parati ſunt ſuperiores debito obſequio colere, ſed negant ſibi liberum eſſe juſſis hominum contra conſcientiam obſequentem aurem commodare, & polluti quicquam attingere. Ita dum metu pollutionis ab licitorum uſu per Conſcientiam abſtinent, incauti in Superſtitionis lutum ſe provolvunt, & conſervandæ puritatis ſtudio contaminantur illo ipſo crimine, quod effugere quærunt. Igitur cum res eò evaſerit, ut ſub rerum levicularum omittendarum obtentu non-

nulli non tantùm Humani Generis Jus (quod ei ad Indifferentia competit) Ecclesiæ ereptum iverint: sed & eripiendo in id ipsum crimen, se dederint præcipites; à crimine utique abluetit, qui Naturæ jus tueri atque eodem commiserationis affectu illos è Superstitionis barathro revocare conatus. Et hæc quidem causa me ad conscribendam hanc dissertationem commovit. Nam postquam omnia revocata sub examen in utramque partem versaveram, persuasissimum stetit Viros quosdam Doctissimos studio tuendæ puritatis ultra veri limites progressos crimen objicere fratribus, quo cui ipsi sunt obnoxii. Et quando non cum plebe tantùm (quæ harum rerum vernaculâ quamvis scripta linguâ pauca intelligit) sed & viris Doctis agere cœpi, deprehendi quosdam statum controversiæ minimè complexos animo, sed Andabatarum more incertos ictus intentare. Operæ igitur pretium me facturum putavi, si rem totam perspicuè, & quantum perspicuitas sineret (cujus major habenda est ratio) breviter proponerem, rejectis

plu-

plurimis, quæ Superſtitionis & Idololatriæ crimen non immediatè intendunt; aut breviter propoſitis. Nam adverſarii nonnulli omnes excuſſiſſe locos topicos videntur, & ſingula ad ferendum auxilium ſolicitaſſe, quò terribili argumentorum acie undique circumſtarent, atque metum incuterent. Ut autem Diſſertationem hanc Vir Reverendiſſime Tuo Nomini inſcriberem, partim Amicorum movit Auctoritas; ſed multò majorem celeberrima ſummæ Eruditionis laus juxta atque Humanitatis Tuæ, quâ benignè conatus aliorum complecteris, Fama audaciam adſpiravit; quando eam virtutem, quæ in Viris in excelſo poſitis eminere deberet, Tibi adeo propriam feceris, ut publico conſecrata bono, licet multùm infra Te poſita, imò Tuâ Eminentiâ indigna, reſpicere tamen digneris, atque Favoris Tui radiis illuſtrare. Hinc factum ut exiguus libellus hicce ſub Nominis Tui umbra ſe recipere audeat, quòd ſi aliquâ ſaltem parte acerrimum Judicium Tuum conatus meos approbaverit, ſuſcepti laborum non

pœnitebit,

pœnitebit, licet non ignorem me judiciis quorundam & censuris obnoxium fore. Supereſt ut pro Salute Tuâ vota nuncupem atque Opt. Max. Deum precibus fatigem, quo Te ſoſpitet, atque robore Spiritus ſui ex alto muniat, conſiliaque ad Eccleſiæ turbatæ commodum & ſui Nominis gloriam dirigat.

Ita precatur

Reverendiſſimæ Dignitatis Tuæ Devotiſſimus Cultor.

Georgius Ritſchelius.

B. Lectori.

UT dissertationem hanc publici juris facerem, ea potissimum causa me impulit, quod viderem, Viros quosdam doctos Ceremonias à primis Ecclesiæ Anglicanæ Reformatoribus retentas scriptis publicis Superstitionis & Idololatriæ sordibus fœdare, atque hinc totas conferre vires, ut demonstrent; neminem eas contrectare, quin conscientiam contaminet; Intentionem Superstitionis licet longissimè à se abjecerit. Infandum crimen viris optimis impactum! cui si obnoxii fuerint, utique deserendi sunt, quia extra veri semitam pedes extulerunt; ne ipsorum Error non amplius latens, sed promptius & apertius insito nos veneno corrumpat; à cujus malignitate, ne vires in ipsis explicaret suas, simplicissimus eos Pietas, Mensque tenax Recti integros incolumesque conservavit. Et quidem, cum rationi insistere viæ rectæ suadeat ratio, facere consultiùs videri possit, qui omisso discrimine pugnæ in Adversariorum pedibus iverit sententiam; quando Ceremonias omittens pollutionis periculo subtrahatur, cui se ultrò offert, cum observat; aut vulnerat Conscientiam, cum trepidus & animo

animo ſuſpenſo illis mitur. Verùm fallax hæc Rationis umbra tenebras effundit, & laqueum tendit incautis. Nam ſi veſtem geſtare lineam, ſi ſignare frontem infantis, ſi poſitis genibus Euchariſtiam ſumere, aut dies obſervare feſtos (Hæ enim ſunt illæ Anglico-Papiſticæ Ceremoniæ) religio eſt; ut eas obſervando Superſtitionis te & Idololatriæ crimine obſtringi putes; jam in eodem luto hæres, ſi hæres in errore. Conſcientia enim errans, quæ, ut ab illicito, abſtinere jubet, ne oderis, neque guſtaris, neque attigeris, in Superſtitionis culpam aqnè trahit, ac quæ tangere vetita jubet. Nam quæ Superſtitio Phariſæum lavare ante cibum capiendum manus juſſit, eadem à rei licitæ contactu manum prohibet. Quòd ſi verò Ceremonias in eorum duxis numero, quæ poſita in medio licitè adhiberi poſſint, Crimine obſtinationis non elaberis, ſi uti juſtius nolis, ſi legibus obedientiam abdices. Cæterùm quia Sereniſſimus Rex in nuperâ Declaratione eam rem cujuſque judicio liberam reliquit; ita quidem, ut ſignare baptizandum recuſanti ne quis moleſtus ſit: ſed Miniſtrum quærere alium liceat; ab obediendi neceſſitate lege impoſitâ omnes nunc ſumus liberi. Supereſt ut videamus, ne proprio irretiti errore contaminemur; & dum Superſtitionis incauti crimen declinare atque affricare aliis paramus, ejus notam noſtris inuramus frontibus nunquam delendam, donec Adverſarios priùs ejus abſolverimus.

rimus. Adde (quæ Humanorum est bonorum calamitas) quòd libertas à Regiâ Majestate concessa apud homines contentiosos certaminum & opprobriorum materiam præbere possit. Igitur ausus sum Rationes meas de licito earum usu Virorum doctorum judicio submittere; quibus mihi persuasum est, Conscientiam minimè pollui, cum uteris: pollui autem cum ab eis ut illicitis abstines, atque fratrem Superstitionis condemnas. Vale. Dabam Hexamiæ 1661.

CAP.

C 4 5.

Cap. I.

Cultus Naturalis, Poſitivus, Moralis, Ceremonialis, Circumſtantia, Ceremonia quæ.

Sect. I.

IN cultu ſupremo Numini præſtando omnes Creaturæ Facultates ſuas ſibi partes attributas habent. Nam cum ſingulæ ab ipſo trahant originem, par eſt, ut ejus præſcripto voluntatis conformentur. Igitur non colo, cum judico colendum. Colo, cum ut Dominum ſupremum agnoſco atque prædico: cum Amore proſequor: cum ab eo optima quæque Expecto: cum ad infiniti luminis me undique circumfundentis Majeſtatem horreo: cum Fidem habeo verbis: cum memor Beneficiorum ejus laudes celebro: cum averruncari mala & tribui bona precibus fatigo; unde *Adoratio, Amor, Spes, Timor, Fides, Gratiarum Actio, Preces.* Quos actus *Obedientia* ſive Animi ad Obſequendum promptitudo

promptitudo ſingulos pervadit atque permeat; quando Creatori nihil placeat, niſi quod lege imperat. Nam Creaturæ arbitrio permiſſa per ſe nec præmium virtutis promittunt; nec minantur pœnam peccatis debitam.

Sect. 2. Cum autem Actus illi etiam in Creaturas cadant, quas non honoramus tantùm, ſed & timemus, iiſque incimur; hinc Specificationem ſuam ab objecto ſumunt. Agnoſcis Deum ut Dominum, agnoſcis & Regem. Utrumque Times, Spem atque Fidem de utroque concipis, &, cum quibus, opus eſt, rogas beneficium. Quare Deus colendus ut Summus, ut Rerum omnium Dator & Moderator: Colis Numen Dei, colis & Regis; in quo Supremi Numinis Majeſtas, quodam radio tenuiter micat; Spem ponis in Amicis: ſed ita ferimur in Creaturas ſeu ferri debemus, ut Numen Supremum ſemper in oculis habeamus, ab ejus dependentes Moderamine atque Nutu, ut, quod à Creaturis ſperamus aut petimus, Ipſe nobis effectum det. Cujus Imperium in Res omnes agnoſcimus, eique nos humiliter ſubjicimus; quo eſt potis facere quod vult fieri, Gratias agentes cum Creaturarum ope ſeu concurſu aliquid commodi paratur.

Sect. 3. Sed quia Homo Animo conſtat & Corpore, atque par ſit, ut utroque Deum colat; hinc *Cultus dividitur in Internum & Externum.* Internus ſunt Actus §. 1. memorati;

rati; ſuntque Cultus Divinus Naturalis; quia Naturæ Lex ad illos obligat. Nàm ex conſideratione Numinis atque cum Creaturâ comparatione univerſæ obligationis vis ſeſe aperit.

Sect. 4. Externus Cultus Rebus ſive Motibus corporeis peragitur. Huc omnes Actus & Ritus pertinent; qui tum demum rectè ſe habent, cum ab Interno Cultu animantur. Univerſi enim Cultûs ſubſtantia ſive Forma à Creatoris præſcripto eſt; quia licèt Rationis Lumen agnoſcat Deum eſſe colendum, ignorat tamen, quomodo colendus; quod non rite fit, niſi ex ipſius ſententiâ. Nempe Contemplatio Numinis injicit, Conſcientiæ vinculum, ut Cultu proſequaris. Modus Colendi poſitivâ lege inſtituitur, quæ docet, quomodo coli velit.

Sect. 5. Unde ſequitur *ad Cultum pertinere, Quicquid Deus ſibi præſtari mandat.* Hinc *Cultus Poſitivus*; Cujus duæ ſunt ſpecies, *Moralis & Ceremonialis.* Ille vim à Materiæ Moralitate trahit; ut cum Chriſtum profitemur, cum ipſius laudes celebramus; Hic in Rebus ſeu Actibus conſiſtit ſignificatione adumbrantibus atque ſubjicientibus Animo id, cujus gratiâ inſtituti ſunt. Atque huc illa Leviticarum Ceremoniarum turba.

Sect. 6. Diſtinguunt vulgò inter *Moralis Actûs Circumſtantias & Subſtantiam.* Ex hac

Essentia ejus æstimatur, illæ adaugent aut diminuunt Bonitatem, vel interdum prorsus corrumpunt. Hîc observandum, quod omnia à Deo præscripta ad Actus Externi Substantiam pertineant, eorum Ratio certa licèt dari nequeat. Ità Eucharistici sacrificii carnes die tertio comedens rem sanctam Jehovæ profanabat, Levit. 19 5. seq. Ceremoniæ enim illæ, quia à Deo imperatæ, pars erant Cultûs Externi; quarum observatio à voluntate Obediendi profecta utique Deo erat accepta & grata, atque ad tribuenda observantibus legem suam bona promissa obligabat; eóque ipso ad Cultus substantiam pertinebant, quia imperatæ. Et quia substantia Actuum Moralium ex Lege est æstimanda, sequitur, cum vel levicula Ceremonia omittebatur, substantiam non fuisse omnibus numeris absolutam & integram. Hinc *in tali Loco, & Tempore, à tali Hominum genere, tali vestimentorum habitu, talibus gestibus aut verbis, talia sibi sacrificia, tali igni, in tali altari offervi mandavit.*

Sect. 7. Sed hujusmodi Præcepta, cum Bona Spiritualia sub Rerum Carnalium Imaginibus rudi populo ob oculos ponerent, adventu Christi vim obligandi amiserunt. Et Deus, qui est Spiritus, in Spiritu & Veritate, remotis illis velamentis, adorari vult. Igitur non loco, non Tempori alligavit Cultum sui, sed ubique & semper sanctas attollere manus jubet,

jubet, nisi quod Dies Dominicus sit destinatus, quo Præpositi Ecclesiarum (nam & hos instituit) imperata sacra celebrant.

Stil. 8. Cæterùm à Rationis sanitate abhorret, *Creatorem Creaturæ facto suæ declaratione Voluntatis obligari.* Neque enim Obedientiam Numini præstas, nisi Legi ejus conformeris; & ipse legem à Te statutam (sic enim revera ipsius esset) pro suâ non agnoscit. Igitur fieri non potest, ut ejus observatione ipsum obliges. Atque hinc ultro sequitur, quòd Actus à Deo mandatus non sit acceptior, quia prostratus in terram, aut oculis in cœlum sublatis, vel tundendo pectus facis, nam si acceptior esset, esset utique Melior & Sanctior. Si hoc; sequetur à Creaturæ constitutione Sanctimoniam dependere, quam ipsa pro Arbitrio gestui aut rei indifferenti apponere possit. Nempe voluntas Orandi à Deo imperata est; qui etiam lege sanxit, ut semper ores. Hæc verò ad omnes occasiones possibiles obligat. Occasionum dijudicatio cujusque Conscientiæ permissa. Ergo liberum erit stacuere quoties in die fundere preces decens sit, ter, aut quater, aut septies, quævis precatio fide sua Deo accepta est. Et ter orasse, distinctis temporibus, haud dubiè Deo est gratius, quàm semel, si cætera sint paria. Sed si Tu tecum ita ineas rationem: Legem mihi fixi septies orare in die: hanc legem bonâ fide implevi; Igitur

fiduciâ obſervationis legi meæ præſtitæ ſpero favorem Dei majorem; jam in errore verſaris. Deus enim acceptat cultum à ſe Imperatum toties quoties rectè offers, ſed ad legem Tuam, quam Tute tibi dixiſti, non reſpicit, quaſi exaudiat, quia Tu conſcientiâ propriæ legis ſepties in die Oras. Hoc clariùs in aliis exemplis pateſcit: nam non peccas, ſi conſtituas orare flexis genibus & capite aperto; & ſi voto temet obſtrinxiſſes, tenereris utique religioſè obſervare, niſi habitudo Corporis aliud ſuaderet. Ut autem credas ſpereſque tuas preces eſſe ſanctiores Deoque aceptiores, quia ſecundum Tuam legem peractæ, erroris manifeſtus es; quia nihil poteſt eſſe Fidei Divinæ objectum, niſi Verbum Dei.

Sect. 9. Deteſtanda ſunt itaque Pontificiorum tam Dogmata quàm Praxeis, cum ſuo quodam inſtituto putant vim derivari in res Creatas, quæ per Naturam non ineſt, aut Deum ad condonanda peccata moveri, Cum Aquas, Cineres, Cereas ſanctificant, ut ſint ad Salutem Animæ & Corporis. Et blaſphemiam omnem ſupergreditur, cum Imaguncul æ à Pontifice ſtato die in formam Agni effictæ tribuunt, quod

Fulgura

Fulgura desursum depellit, omne malignum
Peccatum frangit, ut Christi sanguis & angit.
Fragnans servatur, simul & partus liberatur,
Dona refert dignis, virtutes destruit ignis.

Nam cum nullo promisso Deus se obstrinxerit ad tales effectus producendos (quos utique illarum Rerum Natura non valet) quâ fide aspergis te aqua? uteris imaguncula? suscipis peregrinationes? nempe Liberalitas Dei remuneratur, cum quid Volentes ejus obsequendo voluntati facimus. Ut autem fas sit me à Deo aliquid sperare, quia meas leges diligenter observo; quàm ab omni sobrietate Rationis est abhorrens sententia? an non meritò audies, quis hæc requisivit de manu tua? Quis tibi obligandi Dominum Jus dedit, ad cujus legem Te decet tuos omnes componere actus?

Sect. 10. Stat igitur; *Nullum actum in se Indifferentem, hoc est, nec lege Dei nec Naturali imperatum; nullam Circumstantiam Loci aut Temporis injussu Dei ab Homine adhibitam, addere aliquid Bonitati aut Sanctitati Cultûs*; ita quidem, ut quis in eo ponere fidem possit, fore, quod Deus sit acceptaturus etiam propter talem Actum & Circumstantiam. Itaque Quæstio est super; *num Ecclesia liceat instituere Ceremonias aliquas, non quæ ad formalem Rationem Cultûs pertineant, sed tantùm ad externam speciem & decorum.* *Sect.* 11.

Sect. 11. Quod ut intelligatur, tenendum, *nullum actum externum sine Circumstantiis absolvi.* Nam & Locus requiritur, & Tempus, & Habitus Gestusque Corporis; quando vel nudus vel vestitus, jacens humi, vel in genua provolutus, aut in rectum corporis statum compositus, manuum, oculorum, aut corporis motu, vel aliter, peragis rem. Harum Circumstantiarum quædam in genere simpliciter sunt necessariæ, ut Tempus, Locus, &c. 2. Quædam non sunt simpliciter necessariæ, ut manuum motus, & quicunque gestus. 3. Nonnullæ in illâ varietate & latitudine habent speciem & elegantiam, sive decus adduntactui.

Sect. 12. Quæ speciem addunt, vel solo decore se commendant, vel præter id aliquid Animo repræsentant & innuunt: Idque vel instituto Hominis ex Naturâ Rerum occasionem sumentis; aut Naturâ ad ejusmodi actum ducente impellenteque. Unde significatio eorum Naturalis vocatur. Nempe ut vestitus incedas, lege Dei teneris: ut habitu Hispanico sive Gallicano uteris, tui est arbitrii, atque ex lege Elegantiæ, quæ apud omnes non est eadem, æstimandum est. Fasces vero cum securibus præjati non tantùm decus conciliant, sed significant vindictam in maleficos exercendam. Ita cum prostrati in terram oculis demissis oramus, Humilitatem testamur: Cum tensis manibus, ardorem Animi, aut nostri traditionem

ditionem ſignificamus: Cum oculos in cœlum tollimus, fide ad Deum evehi innuimus: Veſtium ſciſſio ſignificat contritionem: Tundere pectus Dolorem aut Pœnitentiam: Stare atque aperire caput Reverentiam ſignificat; quam etiam Corporis inclinatione teſtamur.

Sect. 13. Itaque cum quæritur, num Eccleſia habeat Poteſtatem inſtituendi Ceremonias, non de meris Circumſtantiis naturalibus eſt ſermo: (nam omnes conſenſu fatentur Temporis & Loci deſtinationem penes hominum arbitrium eſſe, quo loco, quâ horâ celebranda ſacra ſint) ſed de Ceremoniis ſignificativis quæritur, ſignificatione Rem ſacram repræſentantibus; ſicut Veſtis linea Presbyteri puritatem: Genuflexio in Cœnâ Humilitatem Animi: Crucis in baptiſmo ſignum militandi ſub Chriſto neceſſitatem ſive propoſitum. Nam hæ ſunt Ceremoniæ illæ, quas Auctor diſputationis Anglico-Papiſticas vocat; quibus Feſti dies & Epiſcopalis Confirmatio accedunt. Et de hiſce noſtra Diſputatio inſtituta eſt.

Sect. 14. Ad hanc Quæſtionem expediendam, de tribus dicendum eſt. 1. Quales Ceremoniæ illæ eſſe debeant? 2. An fas eas adhibere? 3. An fas lege Eccleſiaſticâ imponere?

Cap. II.

De Qualitate Ceremoniarum; sint indifferentes, seria, significationis aptitudine decora.

Sect. 1. Quod ad Primum; *Quales Ceremonia esse debeant*, Ratio docet illas, sicut in Rebus Civilibus, cum res seria agitur: ita & in sacris requirere habitudinem earum Dignitati congruentem. Igitur necesse est, ut sint. 1. *Suâ Naturâ Indifferentes*, quæ Bonitatem Virtutis, aut Vitii crimen nec Lege Naturæ, nec Dei positivâ habent: sed pro diversa Agentis Intentione utriusque formam recipere possint. Nam lege mandata partem Cultûs faciunt; quem corrumpis, cum addis prohibita. Itaque licet Incurvatio coram Idolo in Adoratione sit in vitio; quia tamen eo habitu Corporis fideles fuerunt usi, quando cultum Jehovæ tribuebant; neque ad eum gestum lege Naturæ aut Dei positivâ teneamur; hinc eam cum Apertione Capitis aliisque, vocamus indifferentem; atque inferimus, non esse nefas Ritum in Cultu adhibere, licet ab aliis superstitione pollutum. Quia quod alius vitiosâ Intentione corrumpit, in Cultu Dei fide præstito sanctificatur; sicut jejunium sobrium, & cœlibatus castus, reliquique omnes Actus externi Virtute animati Deo accepti sunt.

ſunt. Requiritur 2. *Ut ſint ſeriæ & Graves*; quò Jocularia & Ludicra excludantur, quibus tanta res exponitur ludibrio; quales multæ apud Papiſtas.

Sect. 2. Tertiò requiritur, ut *ſint Convenientes, & ſuâ ſignificatione, ſive à Naturâ illa ſit, ſive ab hominum inſtituto à Naturâ occaſionem ſumente rem animo ſubjiciant*: quia remota & prorſus peregrina ſignificationis nullum uſum habent. Nam utut Oculorum Manuumque elevatio naturaliter ſubmiſſionem Animi ſignificare videri poſſit; quia ſpiritus Animalis in humiliandi actu illa membra ſurſum impellit; Apertio tamen Capitis, Proſtratio, ritus Oſculandi manum ad aliam ſunt originem referenda, quam nec Naturæ lex, ad actus virtutis obligans, nec Verbum Dei imperat. Aaron, Deo mandante, velatus ſacra ferit, Exod. 39. 31. ſeq. Eam conſuetudinem apud Gentes receptam Adulatſo tandem tranſtulit ad Homines. Suetonius in Vitelli, cap. 2. *Idem miri in adulando ingenii, primus adorare C. Cæſarem ut Deum inſtituit: cum reverſus ex Syriâ non aliter adire auſus eſſet, quàm Capite velato, circumvertenſq; ſe, deinde procumbens.* Hi Mores apud nos in deſuetudinem abierunt; qui Honorem Deo juxta atque Hominibus capite aperto exhibere conſuevimus, nec proſtrati (Perſarum More, ut etiam *mento contingerent humum*, Curt. lib. 8. cap. 5.)

ſed

sed flexis genibus. Contrà Justinus lib. 12. cap. 7. *Retentus est à Macedonibus mos salutandi Regis, explosa Adoratione*, à quâ Romanos veteres abhorruisse illud Livii ostendit, lib. 30. cap. 16. *Qui* (Legati Carthaginienses) *ubi in Castris Romanis & prætorium venerunt, more adorantium* (*accepto, credo, ritu ex ea regione ex quâ oriundi erant*) *procubuerunt.* Idem lib. 9. cap. 18. *Referre*, inquit, *in tanto Rege* (Alexandro) *piget superbam mutationem vestis, & desideratas humi jacentium adulationes etiam victis Macedonibus graves nedum Victoribus.*

Sect. 3. Osculo verò, hoc est, manu ad os applicatâ Veteres tam Deos quam Homines adorasse, humanioribus literis nemo est tam leviter tinctus, qui ignoret. Schildius ad locum Suetonii suprà adductum ad Verba *Circumversus se* ex Pithæo addit. *Adorationis vetus hic, non apud Romanos modo, sed & apud alias pleraque gentes ritus fuit, ut dextrâ manu labris admotâ, & ad osculum relata priore digito in erectum pollicem residente, capite submisso, corpus dextrorsum circumagerent.* Plinius lib. 28. cap. 2. *in adorando, dextram ad osculum referimus, totum corpus circumagimus: quod in lævum fecisse Galliæ religiosius credunt*, &c. Hæc ille. Hinc Tacitus Hist. lib. 1. cap. 36. *Nec deerat Otho protendens manus, adorare vulgum, jacere oscula, & omnia serviliter pro*

Dominatione. Hoc sensu Psalmista *osculari* Filium jubet, Psal. 2. 12. Et Samuel Sauli, quem Regem unxerat, osculo homagium præstat, 1 Sam. 10. 1. & Pharao, Gen. 41. 40. ad Josephum, *Tu præeris*, inquit, *domui meæ & ad os tuum osculabitur universus populus meus.* LXX. reddunt ἐπὶ τῷ στόματί σου διαταγήσεται πᾶς ὁ λαός μου. Hinc Job 31. 26, 27. Si aspiciendo lucem cum splenderet: aut lunam pretiosam ambiens, Pellectus est in occulto animus meus, & osculatum est os meum & manus mea. Conf. Hoseæ cap. 13. 2. & 1 Reg. 19. 18. Qui Ritus significantes, quia in desuetudinem abierunt, atque à nostris moribus abhorrent, ostendunt, Humanum Genus instituisse externos gestus, Deo, (cui illis exhibitus Cultus fuit) approbante: quorum origo nec ad Legem Naturæ nec ad Divinam Institutionem referri potest. Huc pertinet *Supplicum pacem ab hostibus petentium habitus.* De Rhodiis Livius lib. 45. cap. 25. secundum talem orationem *universi rursus prociderunt, ramosque olex jactantes, tandem excitati curiâ excesserunt.* Et lib. 37. cap. 28. *Tirii cum in oculis populatio esset cum infulis & velamentis ad Romanum miserunt.*

Sect. 4. Hæc Populorum judicia, fateor, tantum apud me pondus habent, ut Clar. Jeanesio concedere non possim, *Genuflexionem à Naturæ Lumine accersendam*; (si per Naturæ lumen, (ut debet) intelligit illud Rationis dictamen

dictamen omnibus Gentibus commune) cum videam, quosdam ex moratioribus ab hujusmodi ritibus abhorruisse. Vid. Part. 2. Theol. Schol. ad 1 Cor. 14. 40. pag. 7. & 21. Sanè Religiosissimus David, Psal. 95. 6. non tantùm, ut coram Jehovâ genua flectant, hortatur: sed & ut incurvent se, & procumbant: quod Populum Israeliticum fecisse, cum primùm staret (2 Chron. 6. 3.) patet ex 2 Chron. 7. 3. confer. 2 Chron. 20. 18. qui tamen Ritus à nobis non observantur; quod facere nefas esset, si verbum Dei eos obligatoriè ostenderet. Et Rerum Judaicarum peritissimus Lightfootius de Officio Templi, p. 121. observat, Prostrationis licèt frequentissima fiat mentio, usum fuisse rarissimum: sed in humilem corporis incurvationem fuisse immutatam. Et sanè 2 Chron. 20. 18. Rex dicitur verticem facie demissa in terram inclinasse, & procidisse populus. Græcos autem προσκύνησιν Persicam damnasse Vir Doctissimus cum Æliano fatebitur, ex quo notum illud de Ismeniâ Thebano annulum coram Rege projectum tollente narrat; de Apparentia Mali, p. 144. quod *servile officium* (uti Curtius lib. 6. 6. vocat) etiam Conon Athenienfis præstare recusavit, ut Justinus refert lib. 6. Interim ex hisce manifestum, *Mores Populorum mutatos judicandi de illis facultatem sive immutatâ sive corrumperet.* Philo de Legat. ad Cajum. *Quidam barba-*

barbaricum Adorationis morem in Italiam intulerunt: nativam Romanorum libertatem corrumpentes. Et tamen Romanenses Jovem suum Capitolinum non tantùm incurvatione nunc adorant: sed & osculo pedi fixo.

Sect. 5. Hinc infero. 1. *Ritus à Gentibus in rebus Civilibus usurpatos rite in sacris adhiberi; si eorum Dignitati rectæ rationis judicio congruant.* Juvat locum, licèt prolixiorem, ad rem maximè appositum è Joanne Calvino ex Instit. lib. 4. cap. 12. n. 17. adscribere. Qualiter promissa barbâ, impexo capillo pullâ veste, suppliciter se olim demittere res solebant ad conciliandam Judicis misericordiam? ita nos cum rei agimur coram Dei tribunali, ejus severitatem miserabili habitu deprecari, tùm ejus gloriæ interest ac publicæ ÆDIFICATIONIS, tum nobis quoque utile ac SALUTARE. Atque id quidem usitatum fuisse in populo Israelitico, ex verbis Joelis colligere promptum est: nam quum jubet cani tubâ, convocari cœtum, indici jejunium, loquitur ut de Verbis communi consuetudine receptis, &c. Et post; Cinis quidem & Saccus, illis forte temporibus magis conveniebant: sed convocatio & fletus & Jejunium, & quæ sunt his similia, non dubium, quin ad nostram ætatem similiter pertineant, quoties ita rerum nostrarum conditio postulat. Nam cum sanctum sit exercitium cura ad humiliandos homines,

minies, tùm ad humilitatem confitendam: cur eo minus utamur, quàm veteres in simili necessitate. Et rursus: Quid causæ est igitur cur non idem agamus? *At externa est Ceremonia, quæ finem in Christo unà cum aliis accepit. Imò hodieq; optimum fidelibus adminiculum est (ut semper fuit) & utilis admonitio ad se ipsos excitandos, &c.* Actum Creaturæ se coram Deo humiliantis esse Divini Cultûs speciem omnes fatentur, illum induto cilicio, & cineribus caput fœdantibus rite peractum fuisse res ipsa clamat. Quid igitur? An nefas admissum dixeris, si constituissent, ut Verba ad Populum facturus cilicio indutus impexo atque conspersо cineribus capillo, laceráque veste prodeat? Quid si ramus olivæ fuisset additus? cujus jactatio spectaculum magis insolens mihi non inficeret, quam capilli impexi, promissa barba, cilicium. Vide Ezræ 9. 3. Iesaiæ cap. 22. 12.

Sect. 6. Hinc sequitur, 2. *Fas esse novos Ritus introducere. De Semiramide* Justinus lib. 1. cap. 3. *Brachia & crura velamentis, caput tiarâ texit: & ne novo habitu aliquid occultare videretur, eodem ornatu & populum vestiri jubet: quem morem vestis exinde gens universa tenet.* Mutatio vel lege introducta, vel ab uno quacunque occasione originem trahens, licèt insolens à Principio, consuetudine in naturam abit, ut arrideat, à quo primùm judicio abhorrebas. Igitur si omissa genuflexione aut aper-

tione

tione capitis Gens alios adsumeret significandi honoris ritus, ut osculandi manum, aut leviter caput inflectendi; jidem in cultu rectè atque ordine adhiberentur; quamvis judicio nostro primo adspectu minus sese approbarent.

Sect. 6. Patet 3. *Non opus esse, ut jidem Ritus tam in Civilibus negotiis, quàm in Cultu Divino ab eadem Gente adhibeantur.* Ratio est, quia ritus in Religione adhibitos Gens cum Religione ipsâ recipere potest à patriâ consuetudine alienos. Quare si populus rectus nec ponendo genua exhibens honorem aperire caput & genua ponere in sacris disceret, nullâ superstitione polluetur; licèt forsan essent, qui gestibus illis plus justo tribuerent. Idem de Ministrorum vestibus ferendum judicium est. Sanè, 1 Sam. 7. 5. *Israelita hausientes aquam effuderunt coram Jehova*; quod in Actu civili usurpasse non leguntur. Nec inducere in Animum possum, ut de effusis lachrymis intelligam. Quod si Romanis atque Græcis Evangelium prædicatum fuisset, cum patrii mores à corporis prostratione adhuc abhorrerent, nemo Superstitionis notasset, quod in divino tantùm cultu eâ uterentur, nam quia in sacris suis profanis, antiqua consuetudine, eam adhibuerunt, argumento est, Religionem illam irreligiosam ab Orientalibus (quibus illo gestu colere superiores more receptum erat) ipsis fuisse traditam: quod thesin meam roborat.

Sect. 7.

Sect. 7. Dico 4. *Significationes Morales Gentium instituto Ritibus impositas utique insinuare Animo, quæ sui sint partes officii.* Nam modestum habitum qui secum versat, aut quis potissimum Humilitatem Animi gestus deceat, fieri non potest, quin interno quodam motu excitetur commoveaturque. Hinc *Nuptiæ à nubendo: quia solebant olim Puellæ pudoris gratiâ caput obnubere: significantes, verecundiam nuptiis præire debere.* Cal. Lex.

Sect. 8. Observo 5. *Vestes candidas à Veteribus in significationem Honoris, Gaudii, Puritatis adhibitas.* Vid. Annot. Anglican. ad Eccles. 9. 8. Polydorus Virgilius lib. 3. de Inventione Rerum cap. 9. observat, *fæminas Romanas in luctu depositâ purpurâ atque auro vestes albas induisse, quibus etiam mortui corpus velabant: Alba autem, inquit, veste idcirco cadaver exornabant, quia solus albus color sincerus ac purus, minimeque inquinatus est, & ob id mortuis aptissimus. Sic in Evangelio legimus corpus Domini sindone involutum fuisse, quo vocabulo lineum velum significatur. Addit Polydorus: Hinc arbitror natum, ut hodie, Regina Francorum post mortem viri albis tantùm induatur vestibus, & si qua vidua sit Regina Alba vulgò vocitetur.* Herodianus in descriptione Consecrationis Romani Imperatoris, lib. 4. cap. 2. de Matronis: λιτὰς ἠσθῆτας λευκὰς ἀμφιεννύμεναι σῆμα παρέχουσαι λυπουμένων, *Vestibus albis*

albis exilibus indutæ mærentium speciem præbent. Et equites *Aurei Velleris* die statutâ albâ veste ad Puritatem significandam ornari Historiæ referunt. Igitur cum color ille ad animi puritatem denotandam Politico usu inter Gentes adhuc usurpetur; quo se crimine Minister obstringat, si eodem consilio in sacrorum celebratione adhibeat, nondum video. Sanè si cultu modestiam præ se ferente ostentare se populo debet, quid impediet, quo minus utatur, qui puritatem atque candorem significet, quando uterque (sicut & apertio capitis) ex civili usu populorum æstimetur? Neque dubito Spirituni Sanctum, cum de albis vestibus loquitur, Rev. 3. 4, 5, 18. cap. 7. 9. 19. 8. ad Populorum consuetudinem respexisse; quod & fecit, cùm cap. 11. 17. lapilli albi mentionem facit. Neque putârim cum Cl. Viro ad 1 Cor. 14. 40. pag. 47. *à baculo ad angulum concludere*, qui ad vestis lineæ usum probandum illa loca adducunt. Nam sicut ex eo quod cap. 4. 10. Viginti quatuor Seniores procidisse dicuntur, rectè colligo, ritum illum esse licitum, quia à Spiritu Sancto è medio Populorum usu sumptus: ita quid vetabit albis vestiri, cum Sancti Ecclesiæ militantis eo habitu describantur? (vid. Rev. 3. 18.) quando perspicuum sit locutionem illam è receptâ consuetudine sumptam.

Sect. 9. 6. Significatio igitur, quam Gentes

Gestibus hujusmodi, & Habitibus designant, ad res tam civiles quàm sacras, nisi quæ ratio obstet, pertinet; illis enim Modestiam, Humilitatem, Dolorem, Venerationem, Animi candorem humanum genus declarare solet, sive significationem Naturâ immediatè ostendat, sive à facto alicujus ducat originem. Quare non invitis largimur Amesio, *esse modum in rerum sacrarum usu dignitati earum convenientem: non qui ipsis sit adequatus, proprius & peculiaris, sed qui sit eis cum Rebus civilibus momenti gravioris communis*, apud Ieamesium, ad 1 Cor. 14. 40. p. 13. In quam sententiam ipse p. 15. ait: *Decorum in cultu Divino requiritur necessitate medii, tanquam medium ad acceptam celebrationem requisitum: sed non est medium eorum proprium & peculiare; finem enim eundem immediatum in materiis tam civilibus quàm Religiosis habet; adeóque utrisque commune est.* Jam suprà probavimus, vestes albas, extra cultum, propter significationem moralem adhibitas: probavimus non esse nefas, vestem aut gestum adhiberi aut retineri à Gente, apud quam in civilis vitæ usu non receptus est, nec negari potest, ipsam significationis contemplationem, sive in sacris sive civilibus actibus excitare animum. Igitur superest, ut sine crimine veste lineâ indutí sacra celebremus. Unde non satisfacit, quod vir Doctiss. eodem Tractatu p. 40. habet: *Se crucis religiosum*

tan-

tantùm usum improbare, non civilem, ut in monetâ aut labaris. Nam si rem ab origine repetierimus, ultro apparebit, eodem instituto additam labaro, quo adhibetur in cultu; nempe ut Constantiæ & Fortitudinis admoneret. Est autem res admodum absurda, aliquid à Religione desumptum ad res civiles rectè transferri, in Religionis exercitio illicitè adhiberi, si ei in cultu locus sit. Quòd si verò Doctiss. Vir per usum signi religiosum (quatenus ab usu civili distinguit) innuit, plus tribui signo in Baptismo effecto, cujus efficacia supra civilem, ut sic dicam, significationem adsurgat; suis adversariis talsam sententiam impingit. Interim sicut vestis scissio, aut cilicium, vel insperſus cinis doloris indicia in vitâ civili sunt; quæ ad actus Pœnitentiæ translata profundiori impressione, & quodammodo ab eâ, quæ à civilibus causis existit, diversâ Animum commoveat: ita non mirum, si in celebratione Baptismi fortiorem motum imprimat signum Crucis, quàm cùm illud in monetâ contemplaris. Nam (ad hominum omnium sensus appello) etiam cum modestiæ habitum contemplaris; quando cum Deo agendum est, Animus fortiùs movetur, quàm cùm in conspectum virorum gravium prodeundum.

Sect. 16. Hinc, 7. Infero, *Ritus & Habitus, quorum moralis significatio hominum*

institutо valet, bonitatis objectivæ castos esse. Ratio est, quia Bonitas Moralis à lege Creatoris est, sive per Rationem Naturalem declaratâ, sive patefactâ per Revelationem. Igitur audire Dei verbum, & prædicare, dare eleemosynam, fundere preces: licèt improbâ intentione ita corrumpi queant, ut Deus abhorreat (Isa. cap. 1.) in se sunt tamen actus boni, quia imperati. Incurvare autem sese, aut aperire caput, vel caput velare in cultu, vel exercitio cujusque virtutis, adhibita per se nihil Bonitatis habent; quia nullâ lege imperantur. Tum autem in crimine versaris, cùm per contemptum Gentis, cum quâ agis, mores probos fastidis.

Sect. 11. Unde, 8. Ultrò sequitur, *Gestus atque Habitus hujusmodi in Virtutum exercitio adhibitos, non pertinere ad earum Rationem Formalem; sive non constituere partem Virtutis.* Nempe fasces & secures Justitiæ sunt insigne, nec tamen cùm scelera vindicat Prætor, Fasces ad essentiam Justitiæ vindicativæ pertinent. Ad eundem modum nec apertio capitis est pars cultûs divini; sicut neque tectum esse, nisi à Deo imperetur. Quare neque lineæ vestis gestatio partem cultûs faciet. Ratio est, quia *de significationibus illis moralibus, tam in exercitio civilium Actuum, quàm Sacrorum, quoad se, idem ferendum judicium est.* Nam Deo per se non magis places, quod capite aperto oras,

oras, quàm quòd horâ nonâ. Ad substantiam ergo actûs Ritus illi non pertinent. Sed de hoc infrâ.

Sect. 12. Porro, 9. Hinc elicio utique *de hujusmodi ritibus fas esse argumentari*; *Deus non prohibuit*; *ergo licet uti.* Nam lege Naturæ ad observandum decorum tenemur, cujus dijudicatio, cùm apud omnes non sit eadem, populorum arbitrio à Creatore permissum, quo potissimum Habitûs atque Gestûs genere uti decens sit. Hinc generali lege tenemur adhibere decora, quorum in particulari æstimatio Gentium Ingenio relicta est. Hinc quædam velatæ corporis prostratione exhibent honorem; aliæ aperto capite honorant, humi jacentium prostrationes viro indignas censentes.

Sect. 13. Tandem, 10. Hinc evidenter sequitur, *eos cultui à Deo instituto nihil addere: nec Perfectioni detrahere Scripturæ: nec in Officium Christi Propheticum peccare: nec denique Regni ejus plenitudinem evertere*, qui Ceremonias Moralem significationem habentes introducunt; quod non-Conformistæ Prælaticis objiciunt. Vid. Doct. Jeanes. ad 1 Cor. 14. 40. pag. 84. & de Apparentiâ Mali, pag. 120. & Retorfort. de Jure Divino Regim. cap. 1. Ratio è dictis aperta est. Nam cùm elegantia in rebus divinis secundum rectæ rationis præscriptum sit æstimanda, atque velato capite & talari veste indutum inter decora ducatur, qui

Deo illo cultu Cultum præstat, non magis addit Rerum Sacrarum Substantiæ; quam qui præstat capite aperto, habitu sive Hispanico, sive Gallicano; licèt in singulis Modestia Christiana pro Ingenio Gentium elucere debeat.

Sect. 14. Judæos, tempore Christi, præter Ceremonias à Deo imperatas, in publicis sacris, Ritus ab Hominibus institutos usurpâsse, apud Lighfootium de Officio Templi cap. 10 p. 115. seq. videre licet. *Nefas erat cum baculo ingredi: nec calceatum: nec cum perâ; nec pedibus pulvere fœdis. Oraturus ad templum versus corpus & vestem componit: locum suum tenet: vocem moderatur: Adstans stat pedibus junctis, oculis deorsum fixis, corde sursum elevato, manibus pectori impositis, & dextrâ impositâ lævæ, servi ad instar coram Domino cum omni reverentiâ stantis. Et sacerdos oculis in terram fixis & alio velamine tiaræ impositio Populo benedicebat.*

Cap. III.

Non-Conformistarum Sententia.

Sect. 1. Disputator, postquam signis naturalibus aut civili consuetudine introductis in sacris locum dedisset, p. 198. ait

ait Quæstionem præsentem de *signis Mysticis* esse. Et quid *Mystica significatio* sit, exponit, cùm p. 79. ait. *Neque Beza, nec alius quisquam, cui Anglicana Ceremoniæ displicent, ritus & circumstantias in externo Dei cultu damnant, quatenus tantùm ad decorum faciunt: sed damnant sacras illas & significantes Ceremonias, quæ Hominem sui officii admonent.* Nempe quò tandem disputatio evadit? fas est adhibere signa moralia, ut Genuflexionis, scissionis Vestium, promissæ barbæ: sed nefas adhibere, ut signa mystica, quæ doceant, & admoneant officii. Fas est aperire caput, sed nefas apertionis meditari significationem. Fas est prosternere corpus, aut osculari manum, considerare quam vim habeant, nefas. Igitur quando Deus corda, non vestes lacerari jubet, metuendum, nè Superstitione Israelitæ corda polluerint, quando contritionem internam externâ laceratione testabantur. Sanè Disputator ipse fatetur se capite aperto Venerationis causâ sumere Eucharistiam; quod facere non potest, nisi ritûs vim significatricem concipiat animo; quando aliàs non plus venerationis Sacramento tribueret, quàm quercui aut saxo, cum scalpturus caput sese aperit.

Sect. 2. Cæterùm hunc nodum Vir cl. adstringit ad 1 Cor. 14. 40. Nam. p. 19. ait, *Humanæ Ceremoniæ sumuntur 1. Liberaliùs pro omnibus Circumstantiis ordinis & decori,*

atque etiam pro omnibus signis Reverentiam mirè indicantibus: quæ distinctionis gratiâ Cæremoniæ Circumstantiales dici possunt. 2. *Strictè tantùm pro illis, quæ sunt Doctrinales, Symbolicæ, Sacramentales. Et addit ex Amesio, Externa Cæremoniæ, quarum usus proprius est Deum honorare, sunt Cultus Divinus externus.* Et pag. 21. Non Conformistæ *contra Cæremonias Humanas, Religiosas, Mysticas tantùm disputant; quales sunt signum crucis, Vestis linea eminenter, etsi non exclusivè.* p. 28. *Signum crucis à nobis sublatum magis esse Sacramentale, ut qui verba addimus, quod Veteres non fecerunt.* p. 40. *Non Conformistæ consensu docent, frequentem apud Veteres signi crucis usum fuisse illicitum, nec defendi posse.* pag. 46. *Vestis linea adhibebatur, non tantùm ut nota distinctionis, sed ut sanctitatem vitæ denotaret. Hoc esse licitum probandum est.* p. 51. Non-Conformistæ quatuor Qualificationes supponunt in Cæremoniis, quas rejiciunt; videlicet, 1. *Institutionem Humanam.* Genuflexionem, Inflexionem, Prostrationem, oculorum elevationem, Jubilum, Saltationes absolutè negant esse inventiones humanas. 2. *Significationem ordinatam sive institutam.* Nam hæc habeant ad significandum aptitudinem, sine speciali tamen hominum Institutione non significent. Illæ igitur Cæremoniæ, quæ significant naturaliter, sine institutione, ut tollere

oculos in cœlum, elevare caput, flectere genua (nam has Natura, ut ait Amesius, sine Institutione observare omnes Nationes docet, licèt non sine consilii moderamine, nec sine Varietate, ut cui Natura ipsa subjecta est) ab hac Controversiâ excluduntur. Excluduntur etiam, quæ civili consuetudine significant, ut velum fœminarum, 1 Cor 11. 3. *Mysticam significationem.* Significant enim vel Gratiam vel Officium. Docent res Spirituales & Religiosas significatione institutâ. Unde quidam Ceremonias Doctrinales vocant. 4. *Quod approprientur actibus religiosis in cultu, & sic sint Religiosæ in statu.* Et p. 63. ex Amesio, Adversarius ajt esse sacras per Applicationem; Respondet Amesius, sic & cultus vestium civilis, per applicationem esse sacer potest; Quæstio est de naturâ Internâ. Res sacræ civilibus applicatæ sacræ esse non desinunt. Et p. 81. *Humanæ Religiosæ Ceremoniæ in suâ Naturâ sunt Cultus, quia institutæ sunt ad honorandum Deum immediatè & in fine suo: non sic elegans vestitus, aut sedes.*

Sect. 3. Fateor Gestus quosdam naturaliter significare: sed omnes, quibus utimur, tales esse pernego. Manifestum est hoc in apertione capitis, & osculo manûs. Nempe cum rebus lætis circumfundimur, aut premimur tristibus, variis nos agitari motibus, ipso sensu percipimus. Horum nonnulli suâ Sponte erumpunt,

ut

ut Risus, Jubilum, Lachrymæ, Ploratus, alii verò interventu Rationis & Voluntatis producuntur. Nam licèt res afflictæ dolorem infigant, cujus stimuli vel invito lachrymis exprimunt & clamores; tamen ut pulvere caput fædes, quo testeris te indignum, quem terra sustineat: ut horrido capillo barbâque, & lacerâ veste, aliisque hujusmodi gestibus aut ritibus miserandum te Spectantium oculis præbeas: non fit, nisi in consilium advocatâ Ratione, & Voluntatis Proposito accedente. Itaq; cum supplex veniam rogas, quòd Spiritus oculos sursum agat, atque inflectet genua, manúsque tollat, Naturæ tribuendum, quæ pueros nullius monitione adjutos effingere actus illos docet: sed Insularum, velamentorúmque, atque olivæ ramorum usus à Voluntate & Instituto Humano est. Quare, *ut terminos in puncto immoto figamus, dicendum, eos tantùm Actus, primariò significare naturaliter, quos ipsa Natura per se producit*; quales sunt Risus, Lachrymæ, Ploratus; Cùm autem Ratio in consilium advocatur, ita ut Usus eorum ab Arbitrio Humano introducatur, Actus illos esse Institutos. Nempe Supplicaturus non ita secum rationem init; Roganda Venia est, Ergo tendam manus, levabo oculos, genua flectam; quia hos motus ipsa Natura suggerit, sive ad eos impellit: verùm ita instituit; Ergo Insulas, velamenta & alia excitandæ miseri-

cordiæ

cordiæ idonea adhibebo: Igitur in terram me ad pedes abjiciam, & cinere horridóque fædus capillo, irati inflectere mentem quæram. Ita Fæminæ, ut subjectam se viro ostendat, ipsa Natura gestus suggerit: sed veli impositio à Consilio & Institutione est. Significatio in illis Gestibus aut Habitibus est naturalis quidem: sed usus eorum ab Hominum Judicio dependet pro suo Ingenio instituentium, quid cuique maximè decorum videtur. Atque hæc est illa Morum Diversitatis origo. Hinc licèt Prostratio Honorem aptissimo significatu ob oculos ponat (unde Vir Doct. Genuflexionem ad Lumen Naturæ refert) tantùm absuit tamen, ut Græci Romaníque eam à Ratione Naturali dictari putârint, quin inter servilis atque adulatorii ingenii sordes retulerint. *Supplicibus tamen mos erat non tantùm se ad pedes abjicere* (unde post Abjecti nomen pro humili & vili) *sed etiam tangere genua.* Ita Thetis apud Homerum Iliad. 1. sedit ante Jovem,

καὶ λάβε γούνων
Σκαιῇ· δεξιτερῇ δ' ἄρ' ὑπ' ἀνθερεῶνος ἐλοῦσα.

Prehendit Genua Sinistrâ manu, dexterâ autem sub mento apprehendens, supplicans allocuta est. Tacitus Annal. l. 1. cap. 13. *Constat Harterium cùm ambulantis Tiberii genua advolveretur*

volveretur prope à militibus interfectum, quia Tiberius manibus ejus impeditus, procideràt, Curt. lib. 8. cap. 10. *Regina genibus regis parvo filio admoto, non veniam modò, sed etiam pristinæ fortunæ impetravit decus.* Nam Genua Misericordiæ sedes observatione Gentium putantur, ut Tiraquel. ad Alexand. dies Genial. 2. 19.

Sect. 4. Igitur *significandi Aptitudo ex parte rerum est quidem Naturalis, usus tamen ab Instituto est*; qui deinde Consuetudine vires acquirens transit in Naturam. Hinc Naturalia videntur, quibus tenelli animi ab incunabulis imbuuntur à Patrum judicio moribúsque abhorrentia. Et Prostrationem significationem Honoris habere, nemo negabit; sed quidam negabunt adhibendam. Ad eundem modum osculum, Vestium Scissio, Vestis Pulla, Cinis inspersus, Alba Vestis, aliáque rem naturali significatione quibusdam aptissimè ante oculos ponunt, quorum Usus, velis nolis, ab Instituto pendet. Et quorundam significatio in propatulo posita omnibus se offert; alia nec animadvertuntur ab omnibus, nec animadversa probantur. Igitur *quæ de significatione Ordinatâ & Institutâ funduntur verba, non explicant rem, sed obvolutam tenebris relinquunt, nisi figere limites velis, ubi Naturalis significatio desinat.* Hoc facere non potes, quandiu putas, *significationes quorundam ab Instituto hominum pendere*;

pendere; quod secus est. Dicimus enim in Suprà dictis esse utique significationem naturalem (sicut in risu & lachrymis) sed cum ipsa Natura non immediatè producat, verùm adhibenda Ratione suadeat; hinc fuit, ut non omnes scindant vestes, & caput pulvere inspergant, qui præ dolore fundunt lachrymas atque in ejulatus erumpunt; quia hujusmodi ritus muliebris animi adversis fracti mollitiem videntur prodere, aut ad minimum sunt ridiculi, utpote à nostris moribus alieni. Significandi igitur aptitudo Ritibus originem dedit, qui Institutione & Usu Gentium valent: paucos natura suggerit & per se ipsa efficit.

Sect. 5. Gentes per Morales Rituum significationes Animorum internos motus ponebant ob oculos. Nam Candidum Pectus & Ingenium dici nemo ignorat: & de modesto vestium cultu atque gestibus in omnium ore sermones versantur: quæ cum omnium Gentium judicio non sint eadem, Polonos aut Gallos, Gentesque alias immodestiæ accusare, quia Suedorum aut Danorum mores non observant, ridiculum est.

Sect. 6. Cum igitur Nationes moribus externis dissideant, atque à rectâ Ratione utique abhorreat superbè fastidire, quod tuo palato non placet; sequitur *Significationes ex parte Rei se habere quidem, atque ad exprimendam rem esse aptas, non habere tamen vim sine Hominum*

minùm conſenſu & inſtituto. Sanè de colorum pulchritudine Æthiopas diverſum à noſtro ferre judicium patet, quia Angelos Bonos atro colore pingunt: nec probabile eſt, viros virtutis ſtudioſos ipſorum linguâ vocari candidos.

Sect. 7. Quam Ceremoniis ſignificationem moralem adſcribimus, è medio Gentium uſu depromimus. Nam veſtes candidas Animi candorem ponere ob oculos, non in ſacris tantùm actibus ſed & civilibus, ſuprà probavimus. Veſtis ergo linea Religioni minimè eſt appropriata, licèt Anglicana Gens puritatis contemplatione tantùm in ſacris utatur; quando non ſit nefas ritum Gentibus aliis in vitæ civilis uſu uſurpatum, alibi tantùm in Religione valere. Lacerationem Veſtium cordis lacerationem ſignificâſſe ex Joele diſcimus. Ritum è civili conſuetudine ad Cultum tranſlatum Deus non improbabat: Quâ igitur rationis umbrâ probabis nefas eſſe geſtare in cultu veſtem lineam; cum non eſſet nefas Veſtes ſcindere, Cineres inſpergere, Cilicium induere, Capillis horrere; ſi hos ritus in ſacris adhibendos Chriſtiani judicarent? Nam quòd genibus flexis Euchariſtiam ſumimus, non mirum, quia & Regi ponimus. Et tamen Rituum horum Vis ab hominum eſt inſtituto. Hinc patet Virum Doctiſ. ad 1 Cor. 14. 40. p. 51. tenebras offundere, cum ait: 1 Cor. 11. *Velum*

recep-

receptâ atque antiquâ consuetudine Feminam marito subjectam demonstrabat; Et sic erat signum subjectionem indicans sine nova Hominis institutione. Quorsam enim hæc? scilicet Velum erat signum, sed non novæ Institutionis; quid tum? novum erat cùm primùm introduceretur; Cujus si usus fuit licitus, institutio abesse à crimine utique potuit. Sufficit velum vi institutionis valere, ejus utut, secundum se, aptissima sit significatio. Et nostræ Fœminæ cum Græcis, ut puto, de obsequendi promptitudine certaturæ ad ritum illum minimè sese obligatas putant; Nisi forsan etiam in dedecore ponant. *Hi ergo Ritus tantùm ad res sacras applicantur, non appropriantur: sumuntur è medio, atque in Religionis exercitio adhibentur.*

Sect. 6. Supereſt ſignum Crucis officium baptizati, ad quod Sacramento obſtringitur, ponens ob oculos. Ejus Moralem ſignificationem inter populos à Chriſti diſciplinâ alienos fruſtra quæſieris. Igitur *hùc devolvitur Quæſtio; num fas ſit adhibere Ritum, non quem Ratio ſana ex aptitudine Rerum Naturalium oſtendit: ſed quem Religio? An fas ſit Chriſtiano populo ex Religione ſuâ ſumere vocationem ritûs; ſicut Genus Humanum ex contemplatione rerum ſibi obviarum licitè ſumpſit?* Scilicet Paulus in nullâ re niſi in Cruce Chriſti gloriatur, atque per eam vim mortis ejus ſæpe declarat,

declarat. Poterâtne ullus ritus per universum mundum se aptior offerre, quo Militiæ Christianorum, & Victoriæ ab hostibus reportandæ ratio poneretur ob oculos, præter signum crucis? An vestium laceratio mysticam significationem habens, impunè adhibebatur, & signum Crucis sine scelere non adhibebitur? Nempe causantur signum illud esse in Religionis statu, utpote ei appropriatum adæquatumque: lacerationem autem vestium à Consuetudine Gentis mutuatam applicatámque cultui.

Sect. 7. Jam verò recolendum memoriæ, *Gentes instituisse Ritus, non tantùm qui res indifferentes* (dolorem putà & gaudium) *significatione aptâ subjicerent Animis: sed & qui internam animi dispositionem, aut officium.* Hoc vestes albæ, fasces atque secures, hoc velum fœminarum aliáque plurima in actibus privatis & Publicis, in matrimonio, fœderibus, contractibus clamant. Et sanè nemo negabit, Habitum in Cultu divino judicio Gentis Modestiam præferentem esse adhibendum. Hic verò est Moralis significatio prò diversitate Ingeniorum à Gentibus in rebus observata & instituta. Humilitas autem & Modestia est pars illius Candoris Sanctimoniæ veste albâ repræsentati. Et cùm non in sacrorum tantùm Celebratione; sed etiam vitæ quotidianæ usu Modestia atque Humilitas emipere debeat,

significatio

significatio illa ad unam tantùm numero virtutem demonstrandam valet; non sicut oseulum (quo Numen supremum atque Homines honoramus) actum civilem & Religiosum suâ latitudine complectitur: quòd cùm ita sit, sequitur utsque illum cultum revocare Christiano in memoriam officium, quo Deo obstrictus tenetur; licèt Gentiles eam à suis Ceremoniis excluserint, quando ad flagitia nefanda in Dæmonum cultu sese prostituerent.

Sect. 8. Hinc Igitur manifestum, Significationes quasdam Morales rem eandem proponere ob oculos, sive in cultu, sive extra cultum adhibeas. Nam modestus humilisque Gestus in cultu præcipitur, & omnibus vitæ officiis. Et animus alba veste induti non tantùm in foro debet esse candidus, sed & templo. Quare quòd Non-Conformistæ Vocant *Ceremonias Mysticas, Religionis Peculiares, Adæquatas, Appropriatas*; hunc habere sensum debet, quòd extra cultum non valeant, nec adhiberi possint. Nam si in Vitæ Civilis Usu adhiberi possunt, sequitur eas non esse adæquatas Religioni; quia licèt nos illis Ceremoniis tantùm in Religionis exercitio utimur, apud alios in foro & privatis ædibus versantur. Applicatio igitur est tantùm ad actus Religiosos, non Appropriatio.

Sect. 9. Jam signum Crucis quòd attinet, *detur ratio solida, cur non liceat sumere occasionem*

nem à re à Religione demonstratâ atque instituere ritum, qui valeat revovare memoriam officii ad quod Sacramento nos obligavimus; quando signum illud non magis approprietur Religioso actui, quàm Vestes, aut Gestus moralem significationem habentes. Nam veteres Christiani, ob nomen crucifixi Gentilibus exosi, illo signo publicè testabantur, se in ipso fidem ponere, parati ipsius causâ ultima pati, nec sibi inter tot mala in ullâ re Victoriæ spem sitam, quàm in Cruce, hoc est, morte sui Redemptoris, quâ omnes hostes absorpsit atque perdidit. Neque mihi compertum est, an è civili usu primùm ad cultum fuerit translatum, num in exercitio Religionis adhibitum primùm, deinde in forum, in ædes transmigrarit. Adde quod Vir Cl. fateatur signum illud in labaris & monetis adhiberi posse; quod nunquam potest institui, quin ad Historiam Crucifixi habeant conversam mentem. Non posse autem institui talem ritum, quia significatio non sit naturalis, jam rejecimus; probavimus paucos Ritus planè Naturales esse, plurimos usu valere, quia significationis aptitudine se Hominum ingeniis commendent. Tam aptè autem adhibetur signum ad Militiæ Christianæ significationem, quàm Velum in signum Subjectionis, aut apertio capitis ad præstandum Honorem.

Sect. 10. De Impositione Manus Episcopalis, puto Cl. Virum non intendere litem. Eum

tamen ritum non nisi in Religionis negotio adhibitum putem, cùm nomen Domini impositis manibus invocaretur. Disputator p. 71. ait pueros tenere Catechismum sine impositione illâ, quod ad rem nihil; nisi inde Superstitionem probet.

Sect. 11. Verùm nondum ejectati sumus; Disputator novum in Ceremonias impetum facit. nam p. 198. ait *Officium Docendi Signis adscriptum esse Doctrinam Hominum*, Marc. 7. 7. *Errorem Pharisæorum fuisse, quòd Ablutiones fuerint loco doctrinæ & institutionis.* Et Colos. 2. 20. *Dogmata illa non fuisse nuda mandata: sed mandata sub Doctrinarum colore, ad eum modum, quo Lex quosdam prohibebat cibos.* Resp. Pharisæos in ablutionibus suis aliquam posuisse vim; sicut in suis Papistæ. Fatetur hoc Disputator, cùm ait ad eum modum propositas, quo lex quosdam prohibebat cibos. Nempe lex Mosis Sacerdotes, antequam ad sacra facienda accedebant, atque alios, post contractam impuritatem, abluere jubebat. Imò sanctificationis illius Exod. 19. universæ multitudini imperatæ pars in ablutione corporis Videtur Constitisse. Eaque consuetudo se etiam Gentium judicio approbabat. Hinc Romanus Antistes ap. Livium, lib. 1. cap. 45. *Quidnam tu hospes paras? incestè sacrificium Divæ facere? quin tu antè vivo perfundere flumine?* Hæc Ceremonia,

divinâ lege mandata, dicitur Doctrina Hominum, quia malè applicata. Nam post contractam pollutionem abluere lege jubebantur non corpora tantùm; sed & ollas æneas, fractis fictilibus. Illi ablutionem redeuntibus à foro, (ubi in hominum turbâ præsertim cùm Christi tempore Gentilibus permisti, quorum Imperio parebant, essent, impuritas contrahi poterat) mandare; atque mandatum illud transgredientes pro inquinatis habere: illotisque manibus edentes (nam ex eodem principio fluit, Num. 19. ult.) non cibum tantùm polluere, sed & reliquos convivas. Hinc R. Aquiba, *Qui illotis manibus capit cibum, dignus morte est*, & R. Jose *illotis manibus cibum capere idem est, ac rem cum meretrice habere.* Vide Virum Summum Dr. Hammond: ad Matth. 15. & Marc. 7. Hæc erant Dogmata illa, quæ suis discipulis inurebant: quæ sive obtrusa fuerint tanquam pro Dei oraculis: sive pro Sapientium tantùm responsis, res eodem recidit quoad eventum; quia illarum non observatione contrahi immunditiem rebantur. Verba expediam; Illotis manibus, secundum Pharisæorum dogmata, qui vescebatur, pollutus erat. Hoc verò ab opinione nostrâ multùm abest; ut qui Decorum tantùm quærimus, & Decoro admoneri officii cupimus, non dubitantes sine eis sacra rectè atque ordine peragi, sicut etiam peragerentur, licèt Capite tecto celebrarentur.

CAP.

CAP. IV.

Augustani de Ceremoniis. Calvinus. Ecclesiæ Anglicanæ sententia. Hookerus & Fieldus vindicantur.

Sect. 1. QUæ hactenus diximus, verum Quæstionis statum aperiunt. Nam cùm requirimus, ut Ceremoniæ ex eorum, quæ in medio sunt posita, sint numero suâque naturâ Indifferentes; ut feriæ sint & graves; ut significatione aptâ percellant Animum, non est consilium Cultui divino aliquid addere: sed nostrâ in Christo utentes libertate Decori causâ adhibemus. Sequitur ut exponamus, quid, præter non-Conformistas, Protestantium alii de hujusmodi Ceremoniis sentiant.

Sect. 2. Sanè Ceremoniarum sensu Papistico Lutheri Discipulos acerrimos hostes esse manifestum est. Eas Traditionum & Doctrinarum Humanarum Vocabulis passim dehonestant. In Smalkaldicis Articulis Articulo 15. ita loquuntur. *Quod Pontificii dicunt, humanas Traditiones facere ad remissionem peccatorum & mereri salutem, impium & damnatum est: sicut Christus inquit: frustra me colunt.* Rursus, *Restant præstigiæ Papales de stultis & puerilibus Articulis:* ut, *de Templorum Dedicationibus, campanarum baptizationibus, altarium*

rium dedicationibus & baptizationibus, adhibitis patrimis & susceptoribus, qui munera largiebantur, &c. Deinde de *consecrationibus Cereorum, palmarum, placentarum, ovorum, herbarum & organorum: quæ omnia non possunt dici Consecrationes sed ludibria & meræ impostoræ sunt.* Et Augustana Confessio Artic. 15. ita habet: *Admonentur quòd Traditiones Humanæ institutæ ad placandum Deum, ad procurandam Gratiam, & satisfaciendum pro peccatis adversentur Evangelio & Doctrinæ fidei.* Et tamen Tit. De Missâ hæc Verba habet: *Ad hoc opus est Cæremoniis, ut DOCEANT imperitos,* Martinus Chemnitius in Exam. passim ita repudiat Papisticas, ut locum suum in Ecclesia relinquat aptis & significantibus. Vid. Part. 2. ad Canon. 13. Et Joannes Hulsenmannus contra Hagerum Jesuitam disputans ait, Disp. 13. p. 547. *Ritus ab universali Ecclesiâ institutus non sunt cultus divinus seu latreia, sed aliquid sive ad ornandum sive facilitandum cultum pertinens,* p. 551. Esse Imperitiorum per externa illa signa, ad notitiam rerum sacrarum, vel etiam Devotionem Pædagogiam. Et tamen, p. 557. Contra Bell. lib. 2. de Effect. sacr. affirmantem Ceremonias non esse res indifferentes, sed utiles, meritorias, & partem quandam divini cultûs ait: *Hæc cultûs ratio naturam Cæremoniarum, id est, Indifferentiam planè tollit, adeoque, quando sub hac conditione*

à Papistis

à Papistis præcipiuntur, desinunt esse ritus.

Sect. 3. Sed quia Lutherani [illegible] videri possunt, juvat celeberrimo Joannis Galvini Nomine tanquam clypeo tueri latus, qui postquam omnes eloquentiæ & Eruditionis Viros ad Cæremonias Papisticas oppugnandas contulisset lib. 4. Instit. cap. 10. n. 14. in hunc modum loquitur: *Ergòne (inquies) nihil Cæremoniarum ruditoribus dabitur ad juvandam eorum imperitiam? Id ego non dico, omnino enim utile esse illis senio hoc genus adminiculi. Tantùm hoc contendo, ut is modus adhibeatur, qui Christum illustret, non obruat, &c.* Rursus, *Proinde modus in retinendis, illarum in numero ponendum, in observatione facilitatem, in SIGNIFICATIONE dignitatem, quæ etiam Claritate constat, retinere necesse est. Id non esse faciam quid aliter dicere? res enim est in omnium oculis.*

Sect. 4. Quæ Ecclesiæ Anglicanæ de Cæremoniis sit sententia, sufficeret è Præfatione Liturgiæ præmissâ quædam huc transtulisse. Titulus est, De Cæremoniis earum abolitæ quædam fuerint, retentis aliis. *De illis Cæremoniis, quæ in Ecclesiâ usurpantur, & ab Hominum Institutione originem habuerunt: quædam piâ Intentione inventæ tandem in vanitatem & superstitionem conversa fuerunt: quædam indiscretâ devotione & zelo, qui sine cognitione est, in Ecclesiam irrepserunt, & quia à principio*

tolerata, indies pluribus abusibus fadabantur; quæ prorsus resecari atque abjici merentur, non tantum ut inutiles, sed & quia Populo tenebras offuderunt, atque obscurârunt gloriam Dei. Aliæ sunt ab Homine licèt inventæ, quas retinere visum, tum propter decentem in Ecclesiâ ordinem (cujus gratiâ primùm inventæ erant) tum quia ad ædificationem pertinent, ad quam (ut docet Apostolus) omnia sunt in Ecclesiâ referenda. Et licèt observatio Cæremoniæ, aut omissio ejus, in se considerata, res exigui momenti est; tamen violatio ordinis communis & Disciplinæ Voluntariæ & per contemptum eorum Deo non est res levis, &c. Et post. Evangelium Christi non est Lex Cæremonialis (qualis magna pars Mosaicæ legis erat) sed est Religio serviendi Deo, non in servitute figuræ aut umbræ, sed in libertate Spiritûs; illis Cæremoniis tantùm contenti sumus, quæ faciunt ad decentem ordinem & piam disciplinam, & quæ insipido Hominis animo officium Deo præstandum insigni aliqua & speciali significatione ad ipsius ædificationem revocare in memoriam valeant.

Sect. 5. Privatorum Doctorum adscribere testimonia supervacaneum fuerit. Si Theologorum Gemmæ Magni illius Juelli Defensio Ecclesiæ Anglicanæ supra modum privati adsurgit, quid Ecclesia de Romanensium Cæremoniis sentiat, fusè videri potest p. 46. & 130. editione Londini, Anno 1637. impressa, qui

Maximus

Maximus Vir in Replicâ fol. 328. seq. Hartingo objicienti, quid hinc damni surget, ut quis offendatur? Respondet, In domo Dei nocet, quod non prodest. *Omnes Ceremoniæ debent esse claræ, vivæ* (hoc est ad vivum repræsentantes) *& aptæ ad ædificandum.* Quæ Ædificatio, quomodo in Confirmatione Baptizatorum cum manûs Episcopalis impositione locum habet, in Tractatu de Sacramentis circà finem ostendit.

Sect. 6. Hæc cùm ita sint, quis non videt *Doctissimum Hookerum iniquo judicio confodi, cum Impietatis à Rezerforto postulatur; quod dixerat Ceremonias fortiorem profundioremque impressionem relinquere.* Nam ipse expressè lib. 3. de Polit. Eccl. Sect. 3. ait. Sub Ceremoniis non comprehendimus Sacramenta aut alios hujusmodi actus substantiales in Religionis exercitio: sed tantùm ritus externos Ecclesiasticis actionibus addi solitos. Et lib. 4. §. 1. Præter Materiam & Formam, in quibus Cultûs Essentia consistit, quædam externa Forma est, quâ ipso decenti quadam ratione perficitur. Et in sequentibus ostendit, ab omnibus Gentibus, in Actibus Publicis, rituum solennia adhibita, ut insuitatum Spectaculum impressionem faceret. Quæ ostendunt eum de naturali Ceremoniarum aptitudine loqui. Et Cl. Fieldus à Disputatore contra Anglica-Papisticas Ceremonias eandem servitutem experitur.

S. A.

peritur. Nam cum ipse lib. 4. cap. 30. doctissimè contra Papistitas Superstitiones vim Supernaturalem in Ceremoniarum observatione ponentes disputasset, addit circa finem, Ceremonias adhiberi, ut in memoriam revocent, quò cum Veneratione ad peragendum Cultum accedamus, quò excitent ad majorem fervorem & devotionem. Et addit, Ecclesiasticas ad hoc tantùm valere, ut exprimant tales Spirituales & cælestes Affectus, Dispositiones, Motus vel desideria, qualia sunt in hominibus, vel esse debeant, quando Ceremoniæ à Deo immediatè institutæ significent, & exhibeant à Christo collatam Gratiam. Disputator, p. 220. ad hæc, *Excitare Devotionem, quid est aliud quàm operari supernaturalem effectum?*

Stil. 7. Nempe è dictis palam est. 1. Quosdam Gestus atque Habitus Hominum instituto in vitæ quotidianæ usum introductos excitare Animum. Hoc qui negat, cum eo ne verbum super hac re commutare rectum mihi obstinatumque est. 2. Hujusmodi Ceremonias licèt nec Naturæ nec Dei positivâ lege imperatas in cultu Divino rite adhiberi, superstitione licèt & Idololatria pollutas. 3. Viros Doctissimos Pissimosque agnoscere illam in Ceremoniis Vim. Hinc Dicuntur Dovere, facere ad Ædificationem, Facilitare Cultum, esse ADMINICULO.

CAR

Cap. V.

An liceat Ceremoniis uti; An Ecclesia possit Ceremonias instituere.

Sect. 1. Quam cap. 1. sect. 14. proposuimus, quæstionem expedivimus; nempe Quales Ceremoniæ Ecclesiasticæ esse debeant. Supereſt ut discipiamus; 1. An fas sit eas adhibere? 2. Num fas sit lege Ecclesiasticâ imponere?

Sect. 2. Quòd licitè adhibeantur, patet, quia Significationis elegantiâ in cultu externo præstando juvant, non inspirando Gratiam, aut fortiorem adflando auram Spiritûs (nam hoc supra repudiavimus) sed Spiritus Animales colligendo in statum, retinendoque, & tali imbuendo habitudine, ut sint ad rem tantam aptiores.

Sect. 3. Nempe à cibis abstinentia, atque cœlibatus, in semetipsis laudem minimè habent, nec Gratiam impetrat, quia à licitis illis abstines; in laude ponuntur tamen à Sancto Spiritu, atque partim mandantur, quatenus Spirituum Animalium ferociam, quæ ciborum copiâ lascivit, alterum compescit, alterum occasionem dat Deo sine distractione serviendi. Hinc itaque manifestum est, fas esse adhibere talia, quæ Animum naturaliter juvant, exten-

unt,

unt, in gyro continent, quæ attentionem suscitant. Ut nihil nunc dicam de Cilicio Judæis usurpato. Nempe non crediderim piaculum admittere, qui arte Naturæ vires juvat, quò in præstando cultu sit expeditior.

Sect. 4. Quòd si igitur fas est vigiliis frangere Spiritus, quidni instrumentis Musicis suscitentur & redigantur in statum? præsertim quando Divinissimus Propheta se immediato & extraordinario Spiritûs influxui Harmonico sono se præparaverit. Interim nemo sanus sono vim aliquam Magneticam adscribet, quæ Spiritum Sanctum quasi attractum impulerit in motum.

Sect. 5. Jam res ipsa cujusque sensui testatur, genibus flexis & oculis in cœlum fixis Animum faciliùs componi, quàm si ambules, aut caput hinc inde circumferas. Et apertione capitis atque corporis inflexione honorem Superioribus exhibemus: ita cùm Deo præstamus cultum, ipsis sensibus deprehendimus, illis gestibus revocari mentem ad sese, ex ipsâ nempe consuetudine, quia sic facimus, quàndo cum aliis nobis res est. Et saxeâ duritie sit immobilior, cujus sensum cilicium & cinis non commoveat. Claudam hanc Quæstionem Augustini verbis, quæ Doctissimo Thorndykio debeo, De Cultu Dei in Conventibus Religiosis, p. 306. *Et nescio quomodo, cùm hi motus corporis fieri nisi Animi præcedente motu non*

possint,

poſſint, eiſdem rurſus exterius viſibiliter factis, ille interior invisibilis, qui eos fecit, augetur; ac per hoc cordis Affectus, qui, ut fierent iſta, præceſſit, quia facta ſunt, creſcit. De curâ pro Mort. C. 5.

Sect. 6. Atque hinc, ni fallor, Tertium, quod propoſuimus, haud difficulter expeditur. Nam ſi Ceremoniæ illum uſum præſtant, quid ni adhibeantur? Si eſt fas adhibere, quid ni ab Eccleſiâ injungantur? Nam ut in hujus Poteſtate eſt horam conſtituere, quâ ad ſacra commodè convenitur, ita penes eam eſt certam veſtis formam præſcribere. Et hoc Ceremoniarum vel capitales hoſtes fateri coguntur; quando modeſtum habitum urgent; qui habitus ſi non eſt ſignificativus Modeſtiæ, ſanè, velis nolis, non eſt modeſtus. Vis namque repræſentatrix illa non conſtituit novum objectum Formale: ſed ad Actus aut Geſtus externos indifferentes pertinet; quatenus Decus aliquod Rei ſolenni conciliat. Igitur ſicut Æthiopes Angelos bonos nigro colore pingunt, atque Diabolum nivei candoris turpitudine dedecorant: ita veſtis apud nos in honore habita, apud Gentes alias morioni forſan convenientior videbitur. Quare de talibus cùm diſputatio incidit, à noſtris moribus petenda argumenta, formandumque judicium eſt, non accerſenda aliena & peregrina. Licèt Jus Naturæ minimè violetur, cum Ratio

peregrinum

peregrinum introducere habitum suadet.

Sect. 7. Cùm autem Decus atque Ædificatio statuere modum Ceremoniis debeat, patet Viros Doctissimos τῇ τῆς ἀνθολκῆς ἀμετρίᾳ ultra terminos à Ratione constitutos provehi, cùm dicunt; *Si unius Ceremoniæ instituendæ Potestatem Ecclesia habet, cur non plurium, donec tandem in turbam innumeram excrescat numerus. Si inflectendum Caput ad nomen Christi, cur non etiam ad Dei Nomen, & Spiritûs Sancti, & Domini, & Omnipotentis, & reliquorum Attributorum? Annon ætas in sequens poterit novum addere cumulum? quantam hac res confusionem introducet?* Rev. Caudreyus Account. Audit. p. 122. Ubi addit; *Num affirmabit (Dr. Hammondus) quamvis rem in se indifferentem posse ad cultum divinum accommodari? An Ecclesia habet instituendi Ceremonias potestatem ex rebus sic indifferentibus? annon hoc citò earum numerum justo majorem faciet, ut oneri sint, & confusionem in Ecclesiam inducant?* Respondeo Virum Doctum de abusu Potestatis loqui, qui non efficit, nullam esse, nam hac ratione probavero penes Ecclesiam non esse Potestatem constituendi locum aut Tempus, quo conveniatur. Cum Legislator limites egreditur, ostendit se non posuisse modum Potestati; quæ nisi intra Legis Naturæ atque Dei cohibita Sphæram tam in Repub. quàm Ecclesiâ latè stragem dat. Interim ser-

rei

rei oris frontisque ſit, qui Virorum Pietate & Eruditione præſtantiſſimorum querelas damnet, atque in Romanenſium Curiæ intemperantiſſimam luxuriem invectos graviter ferat; quorum libido cùm univerſam Religionem habitu tam tetro conſpurcarit, ut inter præſtigias illas atque ludibria, inter Splendorem, atque facetias Pietatis cura vix deſcendere in Animum poſſit; non mirum, ſi ſtudio Religionis atque Pietatis & amoliendæ à divino cultu tam ridiculæ an abominandæ fæditatis nonnihil infra conceſſos terminos deſcenderint; ut negarint, Eccleſiæ Jus eſſe inſtituendi Ceremonias ſignificantes. Et ſanè mallem hoc Juris ipſi ereptum, quàm per Hominum prutientem in nova ſubinde libidinem cultûs divini Puritatem, Simplicitatem atque nativum Splendorem contaminari.

Sect. 8. Hunc Rev. Cawdreyus abuſum Poteſtatis metuens Account. Andit. p. 149. ait, *Si una hujuſmodi Ceremoniarum eſt licita; & ſic ſecunda, & tertia, &c. quò plures eò meliores, quomodo ergo in multitudine crimen eſſe poteſt?* R. Finem hujuſmodi rituum eſſe excitare animum & rei agendæ affigere: multitudo autem diſtrahit. Et multa decoris ſpecie ſe commendantia, ſociata cum aliis pulchritudinis formam corrumpunt. Habet rotunda facies ſuas Veneres, habet & oblonga. Has in unum transferre Pictor moliens videat, ne

ne humano capiti cervicem jungere equinam paret, neque condimenta varii generis inter se permista gratum saporem elaborabunt. Est terminus, in quo recta Ratio jubet consistere, ubi satis est: quem si transvoles, Nimius, hoc est, in vitio es, quòd non observans Ecclesia Romana, non satis habuit multas intempestivâ permistione facere ingratas & onerosas: sed & addere ineptas & ridiculas. Quare ut Natura paucis contenta se copiâ obrui horret: Ita Animi per multa distracti intentio hebescit, quem unum atque alterum acueret.

Sect. 9. Cœtorum idem Auctor p. 121. limites ponit. *Ait, quòd Potestas Ecclesia tantùm se ad Circumstantias cultûs extendat, ordinem & Decentiam respicientes; & tunc quisq; Vir Sapiens Rationis lumine poterit determinare, ut de Tempore, Loco, Gestu in cultu; & sic erunt pauca admodum, nec poterunt commodè multiplicari, cùm sint eadem vel similes per omnes Ecclesiæ ætates.* R. Jamdudum negavi Ecclesiæ Jus esse instituere Ceremonias ad substantiam Cultûs pertinentes. Nec tamen Viri Doctissimi limitatio mihi satisfacit. *Nempe Quaritur, num Ecclesia habeat Potestatem instituendi ritus significantes?* Affirmo hoc, quia Video Viros Pios uti gestibus, quorum vis primariò ab Hominum instituto pendet, ut apertio capitis ostendit. Gravi dolore correptos pectus percussisse, evulsisse capillos,

cineres inſperſiſſe capiti, ſciſſe veſtes, & indutos cilicio in terram procubuiſſe, nemo eſt, qui ignoret. Ab hiſce pleriſque noſtri mores abhorrent. Interim ſine Legis Naturæ Violatione introduci poſſunt; ſicut multa nobis arrident, Majoribus minimè probata. Et ſanè quæ Ratio Geſtus docet formare, docet & Veſtium habitum. Quare cum certum ſit, non eſſe nefas in divino cultu adhibere Geſtus Moralem ſignificationem habentes, detur ratio, cur non tales liceat adhibere veſtes? Et ſi in Civilibus Actibus ſicitè adhibentur, in quibus Dei Timor, Modeſtia, Religio, inter Solennitatum ſplendorem eminere debent; cur non & in Actibus Religioſis? Quòd ſi concedis, jam in difficultatem relabimur de augendo numero. *Igitur nodum, quem tamen laſcivia prurientis libidinis facilè ſecabit, ita adſtringerem*; ut cenſerem ex *conſideratione Objecti ſive Rei de quâ agitur*; *Finis, propter Quem*; & *Subjecti ſive Hominis ponendum modum atque limites*. Nempe recta Ratio dictat, 1. Quòd Splendor rerum divinarum nativus ſuæ lenociniis Simplicitatis gratiori pulchritudine ſupra humanæ artis fucos & pigmenta emineat. Hujus rei Scripturæ ſtylus argumentum præbet. Et Virtus ipſa, Ethnicorum judicio, adſcititiam meretriciæ ſimulationis formam reſpuit. 2. Quòd Homo à rebus in ſenſus incurrentibus excitetur, atque revocetur in

memoriam aliorum. Hoc præſtant faſces & ſecures. Et ſi ſpeluncam, in quâ Chriſtus natus, ingrediendi mihi copia fuiſſet, putarem, cùm ſenſus conſulo meos, ſacro (liceat ſic loqui) horrore utique me perfuſum; licèt cum Paulinâ nolim jurare me cernere oculis fidei infantem præſentem. 3. Quòd Mens humana multa non capiat ſimul, quin diſtrahatur. Igitur *in Ritibus inſtituendis Gravitas decora, & Rerum Divinarum incorrupta pulcherrimáque ſimplicitas, atque humana Capacitas Mentis limitare Poteſtatem debent. Nam ut Calvinus* ait, Ritus debent eſſe Adminiculo. Et hoc ipſum oſtendit, quòd quævis res Indifferens non poſſit ad cultum accommodari, ut objicit Cawdreyus; &, ut Doctiſſimus Hammondus Vult, revera *panca erunt & ſalubres.*

Sect. 10. Unde etiam impertinenter Auctor Diſputationis contra Anglico-Papiſticas Ceremonias, p. 221. objicit, *Hac ratione Cultum Leviticum fas erit reducere: fas erit determinare, ut genibus flexis verba fiant ad populum: ut orantes ad Orientem convertantur: ut hymnos reſupinus canam, atque ſtans audiam verbum. Nam in omnibus geſtus eſt neceſſarius, nec definitus in verbo eſt. Poſſent quavis hebdomade quatuor dies feſti inſtitui, & ut Euchariſtia ſemel in feſto Paſchatos celebretur.* R. Qui ridiculis & abſurdis exemplis adverſarios urget, ut Poteſtatis uſum Rationalem Eccleſiæ eripiat

eripiat, datâ operâ insanire videri possit. Interim Papistarum jacularia documento sunt, luxuriem Animi ne à diviniſſimis quidem abstinere.

Sect. 11. Nondum igitur labefactatum est argumentum; *Quicunq; habet Potestatem determinandi circumstantias cultûs, habet potestatem determinandi Circumstantias significantes.* Nam si Rationi est consentaneum, ut Circumstantia sit commodissima, sequitur, ut, si fieri potest, sit significativa, quæ Animo, eo quo diximus modo, aliquid repræsentet. Nam si Regum atque Judicum cultus moralis significationis pulchritudine est gratus, qui fieri potest, ut Vestis linea Puritatem Ministri maculâ conspergat, quia induitur, ut admoneat puritatis? Cur non Justitiæ administrationem fædari labe dicis, quando sceptrum atque gladius Regi Cogitationes exercendæ Justitiæ injiciunt?

Sect. 12. Nempe quod aptè in cultu adhibetur, potest mandari, ut fiat. Igitur si tacitò consensu prostrati, & velato capite, vel osculando manum, omnes orarent, consuetudò tandem in legem transiret; ut sedens, aut stans facere contra decorum videretur. Quod Legis Vim tacito consensu accipit, cùm à Supremâ Potestate imperatur, non fit illicitum.

Sect. 13. Sed audiamus Conditiones, quibus Disputator Potestatem Ecclesiasticam circumscribit;

cumscribit. Ait p. 222. Ut quod statuitur. 1. *Sit Circumstantia Cultûs non pars.* 2. *Non sit determinabile à Scripturâ; ut quando dies Jejunio aut Gratiarum Actioni solennis indicandus sit; quia Individua sint infinita.* 3. *Ut detur ejus ratio, qua tenenda conscientiis satisfaciat.* Primam lubentes damus; quod ad secundam, certum est Scripturam non determinâsse, quo corporis habitu sit orandum: nam cum S. Paulus jubet Sanctas manus in omni loco tollere, 1 Tim. 2. 8. ad orandi consuetudinem respicit (quâ in publico nunc pauci utuntur) quam non præcipit observandam, cùm orationem præcipit. Aliàs utique peccaretur, cùm Oratio non sit sublatis manibus. Ita cùm alibi testatur se flectere genua, Ephes. 3. 14. quid fecerit, non quid alii facere teneantur, ostendit. Per signa igitur res significatas ostendit, ad quas lege tenemur, ad illa non tenemur. Ad eundem modum in Veteri Testamento ad Deum accessuri incurvare se aut flectere genua jubentur, secundùm Gentis cum Superioribus agentis consuetudinem. Sed hinc non probatur, quòd ritus illi fuerint à Deo instituti, nam aliàs & nos obligarent. Quòd autem illius tantùm Ecclesia determinandi Potestatem habeat, quod propter Circumstantiarum Temporis & Loci, & occasionum varietatem non est determinabile, quâ ratione facies fidem, quæ vel obtusissimo judi-

cio satisfaciat? Annon Verbum Dei potuisset determinare, quæ Ecclesia determinavit Scotica? annon potuisset præscribere tempus celebrandæ Eucharistiæ, & quoties sumenda, & quâ horâ ad sacra conveniendum? annon determinare potuisset, quot Ecclesiæ classem conficiant, quoties Ministri convenire debeant, & alia ad εὐταξίαν pertinentia? Igitur suspicio subire animum potest, Virum Doctum τῇ ὑποθέσει δουλεύοντα ea tantùm Ecclesiæ permisisse, quæ determinari non possunt, quia Individua sint Infinita.

Sect. 14. Quòd tertio loco rationem requirit, non abnuimus: sed negamus, cùm res inter partes disputationibus jactatur, in rerum per se clarissimarum probatione rationes afferri posse, quæ conscientiis omnium satisfaciant, Neque dubito Disputatorem conscientiæ judicio obligatorio ab Ceremoniis abstinere, & quidem Argumentorum, quæ in aciem educit, copiis victum; quæ mihi, ut ingenuè fatear, elicere assensum non valent.

Sect. 15. Telum ergo, quod Vir Doctus (p. 228.) torquet, nos non tangit. *In cultu divino, ait, nihil admittendum ideo, quia Hominibus placet. Quòd si ex lege Naturæ aut Rationis eas ostendere possunt, non Ecclesiæ Auctoritas facit, ut sint observandæ, sed Ratio.* R. Ratio convenientiæ ex parte illorum rituum utique est: sed ea sola non est obliga-

toria. Aliud est Convenientia alicujus medii ad Finem, quæ ex parte Rei est: Aliud Constitutio Legislatoris ad id, quod est conveniens, observandum obligantis. Aliàs sequeretur nullam propriè ab Homine legem sanciri, nisi cujus Rationem nemo Valet reddere. Neque quævis Ratio in Objecto eluescens obligat ante latam legem: sed ea tantùm, quæ Virtutem imperat, & actum lege Naturali imperatum. Ritus autem à Nationibus introductos ad Lumen Rationis illud, quod gloriam Virtutis à turpitudine vitii distinguit, non esse referendos, capite sequenti demonstrabimus.

Cap. VI.

De Ceremoniarum Moralitate.

Sect. 1. CL. Reterfortus de Jure Divino Regiminis Ecclesiastici Introd. §. 1. *Distinguit inter Circumstantias Morales & Naturales: ad illas refert diem Dominicum, Templi Hierosolymitani designationem, sacra à Ministro peragenda. Addit & mixtas Circumstantias, cum Convenienti tempore & loco conveniunt: quorsum scandalosa & Superstitiosa refert.* Ubi autem Morale sit, ibi bonum. Hoc à Deo esse, ideoque probandum è Scripturâ.

§. 2. Vestis est Circumstantia; Religiosa Vestis

Veſtis docens Sanctitatem Paſtoralem eſt cultus. Ita & ſignum Crucis, cùm infans traditus Chriſto ſignificatur. Rurſ. p. 24. Licèt Reges poſſint condere Leges, *Deus tamen ſolus eſt cauſa Moralitatis*, non Homo; ſicut Præco non eſt Rex, etſi Perſonam Regis gerat. Sic in Legibus Moralibus ferendis ſolus Deus eſt Rex immediatè, ſive leges ſint Eccleſiaſticæ, ſive Politicæ. Et C. 1. Negat Ceremonias in cultu conſiſtere cum Verbi Divini Perfectione: Scripturæ Perfectionem omnes Actionum Moralium Regulas tradere, non factâ diſtinctione inter Eſſentialem atque Accidentalem ſive Arbitrarium Cultum. *Et Scripturam concedere, quod Ratio Naturalis concedit; quia hæc ſit illius pars.* Summa huc redit, *Omnis Moralitas è Scripturâ probanda aut Ratione Naturali, quæ eſt Scripturæ pars. Ratio eſt, quia Bonitas omnis Moralis Deum Auctorem habet: nec præter Scripturam & Naturalem Rationem Suppetit Principium aliud, unde probetur.* Scriptura perfectè tradit, quo Deus cultu affici velit; *Si ergo* (uti habet p. 119.) *decet facere ſignum Crucis, Decentiæ ratio è Scripturâ probanda.*

Sect. 2. R. Virum Doctiſſimum voce Moralitatis in fraudem inductum. Nempe Morale in genere eſt Habitudo Actuum, quatenus à Principiis Activis vitæ Rationalis fluunt. Eſt enim Humanæ Menti Vis Diſcretiva atque

Æstimatrix Decentiæ ab Indecoro insita. Hæc, quid congruat Naturæ Rationali, dictat, & factu fæda ostendit. Hinc Inclinationis pondus ad convenientia Naturæ Humanæ fert, & avertit se ab Inconvenientibus.

Sect. 3. Cæterum quia vitæ Humanæ actus latissimè patent, atque Ratio dictet, Hominem semper teneri se dignè agere, nec committere, ut quicquam ab Ratione abhorrens aggrediatur; hinc Convenientia Actuum Rationalium tam latè patet quàm vita humana.

Sect. 4. Non autem, quod est Indecorum, statim crimen est, nec quævis actûs Decentia glorioso virtutis nomine celebranda. Nam quamvis minimè conveniat, Regem vestibus sordidis incedere; nec in laude ponatur, fœminam nobilem formæ pulchritudinem profluenti è naribus muco dehonestare, aut pollutas limo ad cibum manus admovere; nemo tamen violatæ legis Naturæ postulabit, & adfirmabit admissum opus carnis è cælorum regno excludens; sicut neque præmium Virtuti promissum auferet, qui eleganti corporis habitu componit sese, atque externos actus eleganter facit. Scilicet Bonitas Virtutis à Deo imperatæ in animâ formaliter eminet, externi actus nomen ejus tenent, cùm ab eâ animantur. Unde fit, ut eadem externa actio in uno laudem habeat, crimen in altero, cùm ad principia sua, unde Vitam habent, referuntur.

Sect. 5.

Sect. 5. Cùm igitur non Animi tantùm Actus, ſed & Corporis, Decentiæ ſint legi conformandi; Hinc motus corporis, cùm Virtutis exercitio incumbimus, recta Ratio jubet eſſe aptos ad rem præſentem & decoros; adeò ut ipſa Virtus, actum talem ſimpliciter imperans, operam ſubſidiariam ab Communi aptè & decorè corpus movendi ſéque rectè atque ordine oſtentandi Ideâ petat.

Sect. 6, Nempe ad Dei gloriam purâ cum conſcientiâ cibum capere, opus morale eſt. Interim non omnis pius ſecundùm rectæ Rationis legem externos actus regentem cibos capit. Sunt qui piè animo edunt, ſed motibus corporis tam incompoſitis & à regulis proportionis tam abhorrentibus, ut faſtidium, indignationem, riſum ſpectatoribus moveant. Ita Principi honorem exhibens, vero animi officio, quo ei obligatus tenetur, inter auſicos aſſentatores eminet, & tamen ob geſtus corporis ruſticos culpam admittit.

Sect. 7. Vides igitur Virtutem actus externos ſimpliciter imperare; Judicium autem ab Ideâ Decori, cujus Legibus motus coporis, pro cujuſque ſtatu, conformandi ſunt, petere rationes elegantiæ. Quæ Elegantia non eſt ipſa Virtus (nam elegantiſſimè corpus ſine internæ Humilitatis motu inclinatur) ſed Virtutis in actu externo ſe oſtentantis decus aliunde accerſitum; ſine quâ abſolutè eſſe poteſt,

reſt, ut nihil criminis coram Deo contrahat. Hinc horridi Catonis Virtus utique incompta erat, ſi actus externos ad Ruſticitatem uſque interdum prolabentes reſpicias. Interim Virtus ipſa interni decoris excellentiâ illuſtris, adſcitas Veneres & fucos reſpuit; quoad externos verò actus Pulchrior eſt Virtus veniens è corpore pulchro.

Sect. 8. Cùm igitur utramque Elegantiam Recta Ratio in humanæ vitæ actibus requirat, tam Virtutis ipſius, quàm eam, quæ actus externos honeſtat; hinc *Moralitas Actuum duplex eſt.* 1. *Actuum Virtutum Divinâ aut Naturali lege imperata*, ut colere fidem, ſobrium, caſtum eſſe, ſpem ponere in Deo. 2. *Quæ decentiam in actibus externis ſecundùm Rationis naturalis judicium præſcribit*, ut talibus motibus & geſtibus uti, in talem ſtatum componere corpus.

Sect. 9. Cæterùm *Virtutis licèt apud omnes Gentes unus ſit Vultus ſive Forma, in corporis externorum motuum elegantiâ variant.* Cujus rei cauſam ſive ab Humoribus Corporum & Climate, ſive à primis Auctoribus, quorum veſtigiis inſiſtere ſolemus, accerſas; res tam in aperto eſt poſita, ut caulæ, in quâ natus, per omnem vitam adfixus fuerit, qui in ignoratione illius verſetur. Nempe Regum Humillimus, quum adſcendiſſet per clivum montis indeſinenter flens, & opertus capite ſuo & pergens diſcalceatus

diſcalceatus (2 Sam. 15.) ſubditorum animos dolore & commiſeratione punxit; quem ſi noſtri hòmines nunc conſpicerent, vix à riſu ſibi aut indignatione temperarent, vel ſuffuſi pudore averterent oculos; quia videri poſſit Regiæ Majeſtatis immemor, atque Virtutis priſtinæ oblitus, in effæminatam mollitiem ſolutus, non viriliter, non Regiè feciſſe. Et nos apertione capitis honorem teſtamur, à quâ aliæ Nationes abhorrent. Interim licèt omnium Gentium mores (nam ſic loquimur, & hæc eſt actuum illorum Moralitas non à lege Virtutis petita, ſed accerſita à variabili actuum externorum formandorum Ideâ) non ſint jidem; dubium tamen non eſt, quin alii ſint aliis præferendi. Quamvis eâ judicandi modeſtiâ omnes eſſe deceat, ut ſui cuique placeant, non invehatur in alios, niſi ad vitiorum confinia progrediantur.

Sect. 10. Hiſce poſitis, *dico Veſtem lineam, Genuflexionem, Signum Crucis, ad ſecundi generis Moralitatem pertinere. Hanc autem nego à Verbo Dei præſcribi, aut à Ratione Naturali eo modo dictari, quo ex immutabili principio Moralitatem promit Virtutis:* ſed Originem ſumere vel ab Auctore uno, cujus admiratione alii ſequuntur, vel fortuitò, vel ab humorum temperamento. Nam experimento comperimus, omnibus non placere eadem, & nos invitos primùm alienis moribus imbui; ac deinde conſuetu-

consuetudinem abire in Naturam. Et hæc causa est, quod illorum Actuum Moralitas in se non habeat Bonitatem Virtutis, adeóque coram Deo nec meliorem reddat nec sanctiorem, nisi ab eo imperentur. Nam tum obedientiam honorat præmio.

Sect. 11. Atque hæc est Pulchritudo Virtutis externa è pulchro corpore veniens: de quâ Livius lib. 26. 19. *Fuit Scipio non veris tantùm virtutibus mirabilis, sed arte quoque quâdam ab juventâ in ostentationem earum compositus.* Et de Romulo idem l. 10. *Ipse cùm factis Vir magnificus, tum factorum ostentator haud minor.* Hinc de Moribus Patriis Peregrinis Externis passim apud Auctores legimus.

Sect. 12. Quæ cùm ita sint, quis non videt telum Reterfordianum à Moralitate petitum in ritum cadere, licèt ingentes Vires minetur. Ritus externus, nisi à Deo imperetur, non constituit partem Cultûs, sed externam illi formam addit. Nam Apertionem Capitis Non-Conformistæ cultûs partem non facient, ut quam nec è naturali Ratione nec Dei lege probare possunt. De æqualibus igitur æquale ferendum judicium. Ut sobriè edas, non opus, ut te ad mores Anglicanos sive Asiaticos componas: interim non servatur Morum Gentis, uti vocatur, Civilitas, nisi ipsis conformeris. Idem in Actibus solennibus Populorum

rum omnium obtinet; apud quos Moribus receptum actus Justitiæ, Homagii, dandæ & recipiendæ fidei, feriendi fœdera, Juris jurandi, Matrimonii aliorúmque non certis tantùm verborum formulis, quibus Substantia ipsorum absolvitur declarare, sed & externis decorare Gestibus: quos qui ad Virtutum illam (nam Veritas & Justitia ipsorum Anima sunt) Moralitatem essentialiter pertinere adserverit, ab ipsâ utique desciviſſe ratione videretur. Nego ergo Decentiam in externo corporis atque motuum habitu è Scripturâ, sive lege Naturæ ad easdem Virtutes omnes homines obligante petendâm. Nego Decentiam illam formæ Virtutum essentiali addere aliquid. Nego Decentiam illam Significativam, quâ talem, pertinere ad actûs Substantiam, quem repræsentat. Numquam enim persuaderi mihi patiar, ut credam, traditionem calcei aut glebæ ad contractûs substantiam pertinere: aut priorum digitorum elevationem, vel osculum S. Bibliis fixum pertinere ad formam Juramenti essentialem: neque fidem facies datas dextras, quibus Fides datur & recipitur, pertinere ad illius ultro citróque obligationis substantiam vel ejus partem constituere; licèt rem aptissimè animo subjiciat. Loquor autem de substantiâ & Essentiâ Actuum illorum Externorum à lege Naturæ imperatâ. Nam Summa Potestas cùm Matrimonii aliorúmque

Actuum

Actuum Solennium Formulam constituit; Verba atque Ritus ad Substantiam ut plurimùm pertinent, ut illis omissis actus pro irrito habeatur. Verùm Formula illa est Juris Positivi, cujus non observatio non tollit Naturam actûs in se, sed tantùm declarat non valere Jure Civili, ut experiri lege possit: quod ipsum ostendit Ritus illos atque Formulas non esse in statu Moralitatis Virtutis, ita ut ejus partem constituant. Sanè Virtutum quarundam actus externi ferè nulli videntur à lege Naturali præcisè præscripti, sed permissi Populorum judiciis, ut Fortitudinis, Modestiæ, Temperantiæ exemplo patet. Sicut igitur Formulæ Solennes & Ritus in Civilibus Actibus imperati Actuum illorum Substantiam exprimunt, quibus nihil addendum aut detrahendum, idque Jure Positivo: Ita & Cultus Dei positivus vim & Substantiam ab ejus institutione habet. Et ut observatio illorum Actus Jure Civili validos reddit: Sic observatio Ceremoniarum à Deo institutarum (si animo puro fiat) reddit Deo gratum. Quæ adduntur Ritibus sive Civilibus sive Divinis, non Validitatis opinione (nam sic privato ausu dum emendas, mutas formam) sed Ornatûs tantùm causâ, non pertinent ad substantiam, sed eam extrinsecus tantùm circumstant, ut res ipsa loquitur. Ut tandem huc devolvatur Quæstio; *Utrùm Ceremonia aliquæ significativæ*

significativa ad Actûs Substantiam nec Legem Naturæ nec Positivâ pertinens, fiat pars Actûs essentialis præcisè propter significationem; licèt is, qui utitur, eo animo non adhibeat.

Sect. 13. Quæ cùm ita sint in Actibus Virtutum Moralibus; quâ fide Vir Doctissimus adstruet, cùm ad cultum adhibentur, pertinere ad ejus Substantiam, sive, ut loquuntur, esse in statu Cultus? Nam si ritus significans, quà talis, pertinet ad substantiam cultûs Moralis; utique necesse est, ut constituat partem Moralitatis in omni actu Virtutis à Deo mandatæ: nam ut non est tui arbitrii formam cultûs præscribere; ita nec Virtutis Moralis; quando Bonitas Moralis Deo gratum reddens ab ejus tantùm lege sit. Cùm autem omnes concedant gladii gestationem non pertinere ad actum justitiæ, quomodò probabis gestationem lineæ vestis esse in statu cultûs? aliàs & apertio capitis erit, quam nec lex Dei nec Ratio Naturalis Virtutem imperans præscribit. Nam cùm Apostolus, 1 Cor. 11. 4. Virum κατὰ κεφαλῆς ἔχοντα caput dedecorare affirmat; non instituit legem omnes Gentes obligantem; (sicut nec ad veli usum fæminæ nunc tenentur) nec de omni Simpliciter in tegumento est intelligendus: sed de ejusmodi velamine, quod etiam vultum obnubebat, ut Vir Summus H. Hammondus observat. & Joannes Lightfootius res Judaicas diligentissimè ruspans Judæorum

ab

ab eo consuetudinem perstringi putat, de quâ Suprà cap. 2. Sect. 14.

Sect. 14. Æquum est ergo postulatum, cùm Decentiam Signi Crucis, aut genuflexionis è scripturâ requiris, quia illorum Moralitas ad Decorum tantùm externum pertinet Gentium ingeniis æstimandum. Præscripsit Deus cultum externum, cui addere quid, aut detrahere est nefas; ut apertus aut velatus, flexis genibus, aut procumbens, vel osculo, ut in cilicio aut veste aliâ celebretur, populorum reliquit arbitrio. Quare Ritus hujusmodi ad substantiam actûs non pertinent, nisi vel à Deo imperentur, aut ab observantibus eo nomine accommodentur.

Cap. VII.

Ceremonias non tollere Libertatem Christianam ostenditur.

Sect. 1. Diffusa est de Libertate Christianâ Quæstio, cujus Tractationem hujus scriptionis modus non capit. Et nobis præcipuè propositum est, Superstitionis & Idolatriæ labem abstergere: quo præstito cordatioribus sine negotio persuadebitur, ut volentes Ecclesiæ Canones observent.

Sect. 2. *Est autem Libertas Christiana status*

ſtatus fidelium à ſervitute peccati, Judaiſmi jugo, Dominatione hominum in Conſcientias Chriſto Regi mancipatorum. Hinc ſequitur Libertatis illius gloriam non in omnimodâ exemptione ſtare, quòd nulli Domino ſubſis: ſed quod ſubſis Regi Chriſto, cujus imperio parere Libertas eſt.

Sect. 3. Unde rurſus ſequitur, *Libertatem illam Chriſti Regis legibus circumſcribi; quas qui tranſgreditur in ſervitutem ſe addicit.* Quare cum ipſe ſanxerit, ut fideles Præpoſitis ſuis obediunt; obedientia hominibus ejus nomine mandantibus exhibita Libertati nihil detrahit.

Sect. 4. Et quidem Congregationales ipſi fatentur (Platform cap. 10. n. 8.) *nefas eſſe Præpoſitorum judicio refragari ſine ſufficienti & ponderoſâ cauſâ.* Talis autem eſſe Videtur, *quando ad minimum eſt Violenta præſumptio Virorum ſapientium judicio æſtimata eos à vero diſcedere.*

Sect. 5. Quòd ſi verò *quis ob Mentis ſtupiditatem capere non poteſt, evidens eſt, ſi in rebus dubiis* (non loquor de Fundamentalibus) *ſapientium judicio ſe conformet, bonâ fide agere.* Nam nunquam probabis omnes credentes diſtinctè intelligere Articulos Fidei ab Anglicanâ aut Scoticâ Eccleſiâ propoſitos. Unde non poſſum aſſentiri Diſputatori, cùm ait (p. 33.) *ſe non obligari ad obedientiam niſi in Materiis*

evidenter licitis & expedientibus; si cuivis judicandi ita permittit facultatem, ut Authoritate (non dico solâ) Sapientium Præpositorum motos scrupulos nolit deponere, eorúmque judicio judicium suum & actus conformare. Hoc nisi concesseris, Myriadas Doctorum judicio stantes, qui rem ipsam evidenter non amplexi sunt, damnabis; quando ipsa expetientiâ deprehendamus, multitudinem suos Duces facilem sequi, à se proprio judicio fieri rati, quod affectu faciunt. Et Disputator Ecclesiæ ultimum Judicium Determinativum vindicans (p. 295.) ut ne Supremæ quidem Potestati pronunciare contrariam sententiam liceat, refragari non potest.

Sect. 6. Probavimus autem Ceremonias è rebus indifferentibus desumptas ad Decorum facere & Ædificationem; unde sequitur, quòd *nemo ad eas solâ Legislatorum Voluntate obligetur*; adeóque quemvis teneri ad earum observationem. Quum quis Rationes nondum capit, *ἐπίχειν* tenetur: cum præjudicio captus turbas dat, Ecclesiam contemptim habendo peccat. Rectè Gravissimus Theologus Hieronymus Zanchius de Religione Christiana, cap. 25. p. 30. *De ritibus ac ceremoniis in Ecclesiâ servandis, eadem pietas & Ecclesiarum ædificatio flagitat: ne nimis acriter, quasi pro aris & focis, ut dici solet, sit dimicatio, disceptetur: sed singulis Ecclesiis liberi relinquantur: quemadmodum*

admodum etiam in Veteri Ecclesiâ factum fuisse, apud Socratem & alios Ecclesiasticos Scriptores legimus: quibus de rebus in genere probamus & amplectimur utramque Epistolam Augustini ad Januarium.

Sect. 7. Quod si Judicia nostra atque actus Fanaticorum Conscientiæ permittenda essent, in quæ non mala tandem rueremus præcipites? Injustum igitur est postulare, ut Ecclesia paucorum dissensu moveatur, atque rectè constituta omittat; quando ipsi interim surdi intractabilesque audiant aliorum clamores, nec cedendum gradu existiment. Si nihil determinandum, nisi Rationes semel, ut ἔριδος μῆλος, in arenam protractæ omnibus evidentes sint, frustra determinandi Potestas vindicatur. Prurientia Ingenia semper invenient, quod carpant, atque dum res in se evidentes suo halitu afflant, & caliginem offundunt, materiam habent in quâ Ingenium exerceant. Et *eò res evasit, ut non jam amplius de Ceremoniis, quæ omitti possent, bellum geratur; sed Veritatis & Libertatis Christianæ agatur causâ: sub cujus clypeo latitantes nonnulli aliis eam ereptum eunt.*

Sect. 8. Jam ad *Dies Festos quod attinet*, Disputator cap. 7. & seq. usque ad finem Partis Primæ contendit, *illarum Institutione Christianam Libertatem tolli. Sex dies à Creatore concessos: partem eorum humanâ lege esse nefas*

eripi: quod Creatori soli sit jus festa statæ instituendi; Principes Venandi & Aucupandi jus adimere posse, quia Creaturæ sint datæ generi humano; facienda operis Potestatem cuique Individuo datam. Posse Principem Cives à privatis operibus ad Reip. defensionem avocare: non habere Potestatem mandandi, ut ab omni labore abstineant, ut tempus sanctæ quieti dicent. Habere autem indicandi festi Potestatem: quia ejus exempla in Scripturâ habeantur: & ea per occasionem indicari, quæ à Scripturâ determinari nequeant. Beneficiorum autem Spiritualium quotidie memoriam celebrari posse. Esse rudimenta atque jugum, Gal. 4. 10. Col. 2. 16, 17, 20. Rationes Apostoli æque contra eos militare, quos Ecclesia instituit. Angustissimum de Ceremoniarum onere conquestum: esse majori oneri, quia ab hominibus instituti sint. Conversos Judæos non celebrasse typice, quia Christum venisse crediderint: sed tantum propter Deum Auctorem.

Sect. 9. Nempe suo se Jure fraudare cuique licet, alii fraudare alium nefas est. Igitur ut quisque diei partem dedicare Deo tenetur; ita Patrifamiliâs jus est, statuere diem, &, operâ omissâ, ad divinum cultum vocare familiam. Nulli igitur licet adimere libertatem, quâ sibi lege interdicit operis licentiam, nisi Reip. ratio ad publica negotia vocet. Igitur quisque Paterfamilias omnes dies festos, quos

in

in Angliâ suprema Potestas servandos lege sanxit, celebrandi potestatem habebit: neque hoc ei jure vitio vertetur. Nam familiæ cessationem ab operâ per 20 dies in anno concedendi jus habentem, quâ fide adstrues in crimine versari, cùm totos illos dies, aut saltem partem in Creatoris laudibus celebrandis impendit? nisi forsan fieri injuriam familiæ dixeris, cùm Uxor rebus mundi demersa ab opere invita abstrahitur, vel liberi atque servi in faciundo opere lasciviam pro libertate ducunt, cultum Dei servitutem & jugum existimantes. Certè si Congregationalis cœtus universus in hoc consilium conspiraret, haberemus Festos illos Dies lege Ecclesiasticâ institutos.

Sect. 10. Et quidem nemo hactenus fidem, ut puto, abrogavit, quòd de Pietate & Zelo Primitivæ Ecclesiæ Historiarum monumenta tradiderunt: non illi Diebus tantùm Dominicis convenire, sed quotidie celebrare sacra, aut quater in hebdomade. Illis persuadere facile fuit, ut operas omitterent, & ad sacra convenirent; quando Christianorum vulgus inter nos ne à Dominico quidem Die sacrilegas manus abstineat, & in rem suam tempus Deo dicatum convertat. Non mirum autem Viros Pietate insignes ad Jus suum provocare, & datam à Naturâ Libertatem sibi eripi nolle.

Sect. 11. Hactenus igitur per scopulos salvi evasimus. Tenetur ex officio quisque Christianus aliquid temporis Deo quotidie consecrare: Licet ei dies certos statuere, quibus cum familiâ rebus divinis det operam. Et quamvis singulis diebus beneficia Dei Spiritualia recolere debeat Christianorum Vulgus, non est tamen nefas, imò laude dignum, si peculiaris dies deputetur. Igitur cùm summa potestas paucorum Dierum observationem mandat, quæ Animi obstinatio est de injuriâ erepti laboribus domesticis temporis conqueri? Sanè quos Pietatis cura tangit Zelo, Sobrietate, Moderatione alios prælucere deberent potiùs, quàm de potestate Magistratus rixari, & prophanum vulgus, qui utique illis temporibus ab opere cessat, indurare. Neque enim in eum statum adducti sumus, ut obrutis multitudine conquerendi causa sit, quam Joannes Monlucius Episcopus Valentinus habuit. *Ad hæc etiam accidit, quod qui manibus victum sibi quærere solent, in tanto tamque infinito Dierum Festorum numero, otiari magno suo incommodo cogantur. Itaque auctis hominibus, & multiplicatis, in tam frequenti egestate, & magnâ sui parte labefactatâ eluritate, plures mendici sint, oportet, & qui se suórumque vitam alienâ sustentent misericordiâ*; apud Chamierum Tom. 3. lib. 15. cap. 16. n. 13.

Sect. 12. Ergo si consensu singulorum constituti

stituti sine crimine observantur; ita cùm Suprema Potestas instituit, non peccabis, si facilis aurem præbeas. *Superest, ut dispiciamus, an teneatis Jure tuo, quod prætendis cedere; sive potiùs num Ecclesiæ Constitutio statum diem deputantis sit obligatoria?* Hoc ratio, cur hujusmodi dies instituendi, planum faciet. Nam si laudi ducitur Viro pio, cùm certas temporis particulas statuit, ut cùm Deo agat; quidni Ecclesia rectè faciet atque ordine, cùm constituit certos dies, quibus solenniter beneficia Dei celebrentur? Et orare omni tempore jussi peccabimus, cùm die stato in publicos cœtus coimus, atque uno corde & ore uno bonitatem Dei miramur? quod cùm ita sit, quis venire renuens obstinationis crimine elabitur? Unde sequitur, rationem, quòd observandi sunt stati dies utique præponderare; & per consequens fideles à Præpositis jussos ad observationem teneri.

Sect. 13. Interim est, quod pungit piorum Conscientias; atque dies Festos in Angliâ observatos, Deo Hominibúsque exosos reddit, nempe perditissima multitudinis circa hujusmodi tempora Vita. Verùm si Reip. interest vitia coerceri, atque Præpositi Ecclesiæ ingenti se crimine obstringunt, cùm dies gloriæ Dei dicatos inquinari sceleribus sinunt; Ratio dictat, Summæ Potestati atque Ecclesiarum Moderatoribus toto in id studio incumben-

dum, quò Pietatis, Sobrietatis & Modestiæ habeatur ratio. Nam Conviviorum solennitas illis temporibus non magis est in vitio, quàm cùm tempore alio celebrantur.

Sect. 14. Cæterùm *dies Authoritate Humanâ observari jussus, non est sanctior diebus aliis, adeóque nec Divinitatis alicujus sive Conscientiâ sive Opinione celebrandus*, ac si in Deum injurius esses, cùm secularibus negotiis consumis. Nam hoc est κείνην ἡμέραν παρ' ἡμέραν, ut Apostolus Rom. 14. 5. loquitur, quod v. 6. vocat σεβεῖν ἡμέραν. Neque enim gratior est cultus, quia Die Martis memoriam Nativitatis Redemptoris celebras, quàm si die Veneris. Sanctitas Diebus illis attributa à cultûs sanctitate est. Quòd autem illis Episcopi ipsi sacra peregerunt, non sequitur eos Dominico die existimasse sanctiores: sed potiùs ut solenniter inter dissentientium turbam suum de illis judicium declararent. Et verba Doctissimorum Virorum, quæ sanctitatem majorem eis videntur tribuere, non tribuerent, aut pauca admodum, nisi equuleo imposita. Nec mirum, si in disputationis æstu quædam incautiùs exciderint. Hanc culpam is solus præstare potest, qui ab Errore & Affectu immunis est. Non nego *Discrimen inter Sanctificationem & Deputationem*, quod Disputator (p. 120.) urget; sed nec negari potest Viris in res attentissimis elabi quædam; nec semper propriis vocibus

vocibus uti. Placet Hier. Zanchius de Religione Christianâ, Cap. 25. n. 30. *Post diem Dominicum non possumus non probare illorum quoq; dierum* Sanctificationem, *quibus memoria recurrit, celebratáque in Veteri Ecclesia fuit Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, Circumcisionis, Passionis, Resurrectionis, Adscensionis in cœlum, Missionis Spiritûs S. in Apostolos. Reliquis Diebus, prout quæque Ecclesia expedire judicaverit: sic etiam sacrum cœtum convocet ad verbum, ad Sacramenta, ad preces, ad collectas. Semper verò absit omnis dierum Superstitiosa observatio.* Dies à Deo sanctificatus affirmat observantibus spem præsentiæ ipsius efficacioris, quam aliàs præstare solet Diebus à se non institutis.

Sect. 15. Hæc cùm suo talo stent, *apparet scripturæ dicta, quæ vulgò contra Festos dies afferuntur, non quadrare.* Apostolus Gal. 4. 9. Galatis stultitiam exprobrat sub infirmorum & egenorum elementorum servitutem se redigi patientibus: hoc quid sit v. 10. explicat, cùm ait: Dies observatis, & menses, & tempora & annos. Et ad Col. 2. 16. Ne quis vos damnet ob cibum & potum & v. 20. Mortui estis Christo ab Elementis mundi, quid ut viventes in mundo ritibus oneramini? ita Beza reddit τὶ δογματίζεσθε, quod Anglicana reddit, subjicimini Constitutionibus. Hîc res ipsa loquitur, *Galatas judicio conscientiæ observasse illos*

illos dies. Unde ait, ne quis vos damnet ob cibum, ob festum. q. d. ciborum juxtà atque Dierum discrimine sublato, nemo putet conscientiam pollui, si edat, si non observet diem. Hinc κρίνειν (æstimare) diem præ die, est judicare diem die sanctiorem. Et φρονεῖν seu curare diem est observare sanctitatem diei, quem Judicio κείνειν sive æstimas. Hæc erant Dogmata contraria dogmatibus Apostolicis Act. 15. 28. 16. 4. Et cùm res ipsa testetur, ac Disputator p. 51. ex Junio affirmet, Judæos conversos observasse legem propter Auctorem legis, sequitur, quod Conscientiâ Auctoritate obligatâ præstiterint obedientiam, quod ostendit, loca illa ad rem præsentem non pertinere. Nam non idem est dicere, nefas est quadragesimâ carne vesci, quia Summa Potestas propter rationes Politicas, ut in Anglia, prohibuit; & nefas est vesci, ne polluam conscientiam, quia Deus vetuit. Nempe non peccas in Deum, si legem hominum, de rebus indifferentibus præcipientium, citra scandali casum aut contemptum, non observas; peccas autem cùm legem ipsius violas. Sartor Die festo opus domi faciens, conscientiam minimè polluit; Arator autem exemplo peccaret, quia aliis rebus Divinis intentis ipse publicè Potestatis summæ mandatum negligit.

Sect. 16. Quod *si Dies Festi sint jugum*, ut Disputator ait, *erunt tale vel numero, vel*

quia

quia invitus observat. De multitudine Festorum in Ecclesiâ Anglicanâ conquerendi causam non habent; jugum ergo erunt, quia imponuntur invitis licèt plumâ levius. Nam Cawdreyus p. 127. *Si sunt jugum, cur patiamur jugum nobis imponi; quod non in multitudine tantùm consistit, sed quævis talis Cæremonia parvum onus erit.* Bene autem habet, quòd neque itineribus fatigamur (sicut Judæi Hierosolymam proficiscentes) nec expensarum (nisi cùm pauperibus parca manus dat) exhauriamur multitudine. Nam & templa in propinquo sunt & boves nostros Deus respuit.

Sect. 17. Sanè si Apostoli Ratione prohibent statuere diem, quo sacra celebrentur, eadem ratione probabo omnem diem prohiberi, quia invidia jugi æquè premit Dominicum atque Festos. Nam si hi sunt infirma & egena mundi elementa, quorum observatio Libertatem Christianam tollit, quid, quæso, præstatur operæ diebus festis in cœtibus, quod non præstatur & dominico? Illi ergo cur inter elementa egena referendi & non hic? Nempe ipsis Judæis jugum erant (Act. 15.) licèt ab ipso Deo mandati, atque hoc nomine observati. *Observantes in mundo vivebant* Col. 11. 20. *scilicet propter mundanos cultus* (hinc ἀγιον κοσμικὸν Eb. 9. 1. & Christus non erat sacerdos ἐπὶ γῆς Eb. 8. 4.) *aut ritus carnales*; quod

quâ

quâ sobrietate ad cultum Christi Spiritualem, licèt externis signis & Actibus diebus festis perinde ac Dominico peractum, possit accommodari, nisi Enthusiastarum exemplo omnia repudiaverimus, nondum video.

Sect. 18. Dices, *si peccat Ecclesiastice constitutioni repugnans, quid discriminis erit inter Violationem Diei Dominicæ, & Festi ab Ecclesiâ instituti; quando uterque lege sancitus necessariò observandus sit?* R. E dictis discrimen apparet, & suprà tetigimus. Nam quod à Deo est institutum, ad Substantiam cultûs pertinet, ut eo omisso, non rite peragatur cultus, adeóque ad primam Decalogi tabulam referendum. Festi autem Ecclesiastici non-observatio, quà talis, non est peccatum; nisi cum offendis fratrem, aut Potestatem mandantem contemptim habes. Nam cum Deus non imperaverit, ut 25. Die publicè sacra celebres, non peccabis non celebrando, nisi in crimina supradicta incurras; quia opus suâ Naturâ licitum lex humana illicitum reddere non potest, nisi lex quædam Divina ab eo Hic & Nunc abstinere jubeat.

Sect. 19. Dices *si Ceremonias observare lege necesse est; Ergo non sunt liberæ & indifferentes. Verba igitur dant Prælati de liberis Ceremoniis loquentes, quas tantâ severitate urgent, utpote lege mandatas.* Hinc Disputator p. 125. *Negant Ecclesiam posse mutare dies illos, utpote*

sacris

sacris usibus dicatos. R. Ceremonias ab Ecclesiâ institutas esse liberas in causâ; quia liberè institutæ, hoc est, translatæ ex indifferentium numero, liberè observantur: non quòd omittere possis, sed quia calculum tuum addidisses, si primi Reformatores te in consilium adhibuissent. Nam cùm nullâ necessitate teneris, liberum erit constituere Londinum proficisci aut non proficisci. Cùm constitutum est, profectio libera est, non ut omittere possis (sic enim mutares consilium) sed quia nullâ necessitate impulsus suscepisti. Ita Titia liberè Mœvio nupta liberè obtemperat; non quòd in ejus Potestate sit non obtemperare: sed quia ad obtemperandum obligatio est libera. Aliàs nulla esset libera actio, quia cùm quid est, necessariò est. Quare Indifferentes sunt Ceremoniæ, quia non Imperatæ à Deo; necessariæ autem sunt propter constitutionem Ecclesiæ, eâ necessitate, quâ horâ nonâ ad celebranda sacra convenire est necesse. Cùm autem dicitur, quòd Festi dies mutari non possint, utpote Deo dicati, sensus est, quòd non possint Sapienter mutari: nam quod sapienter fieri non potest, moraliter est impossibile.

CAP.

Cap. VIII.

Ostenditur Ceremonias non esse Superstitiosas.

Sect. 1. Supervacaneum est de Origine Vocis aut Superstitionis Speciebus hac disserere, quod Viri utriúsque partis Doctissimi jamdudum præstiterunt. Nobis sufficerit, quod *Superstitio sit cultus non mandatus. Per cultum Animi persuasionem intellige ponentis fiduciam in re à Deo non institutâ. Per Rem intelligo, Quicquid potest esse objectum, in quod fides aut opinio recumbat, ut Locus, Tempus, Numerus, Sonus, Gestus, Habitus, aut Substantiæ, vel alicujus Omissio.* Nam qui vim in Carminibus, Ligaturis, Avium Volatu ponit, ut producti Effectum existimet, quia verba quædam pronunciat, aut certo loco vel tempore aliquid peragit, quem Effectum nec Verborum aut Gestuum (aut cujusque rei sub opinione futuri effectus adhibitæ) Natura producere apta est, nec Deus promisso obligavit se se producturum, is Superstitionis manifestus est. *Opinio ergo erronea alicujus rei per media externa faciendæ, aut à quibusdam licitis abstinendi Superstitionis forma sive Anima est.*

Sect. 2. Hinc sequitur, *Nullum Actum externum per se esse Superstitiosum, nisi quatenus formam illam ab Intentione sive Actuali sive*

Habituali

Habituali agentis impressam habeat: quæ intentio Infamiam Superstitionis utique inurit, licèt per Conscientiam Erroneam agendo vel abstinendo ejus crimen à te longissimè amoliaris. Igitur qui Auguri adsidens Augurii sacra animo tantùm cognoscendi discit, non magis est Superstitiosus, quàm Delrio veneficus, cùm Disquisitiones Magicas scriberet.

Sect. 3. Unde rursus sequitur, *Superstitionem non tantùm committi actu indebito, hoc est, à Deo non mandato: sed & omissione actûs licitî, cùm ab eo per Conscientiam abstines.* Hinc *Superstitio* est vel *Affirmativa* (cum quis per Evangelium Johannis de collo suspensum sanitatem sperat) vel *Negativa*, cùm quis abstinet à re licitâ, ut illicitâ, Conscientiæ causâ; ut Col. 2. 21. Ne tetigeris, gustaveris, ederis. Nam licèt res, quâ abstines, non immediatè ad cultum pertineat, Conscientiæ tamen abstinentia, nomine Dei, est cultus, quatenus Deum colit mandato ejus morem gerens. Unde non tantùm Superstitiosus est, qui precibus mediâ nocte in templo Jacobi Compostellani peractis plus virium tribuit, quàm habitis alibi: sed & qui carne suillâ abstinet.

Sect. 4. Cùm ergo Superstitio in falso judicio consistat, quo putas Tibi nefas esse, quia à Deo prohibitum, quod reverâ licet, utique sequitur te negativè esse Superstitiosum, dum ex conscientia à licito abstines, crimen Superstitionis

stitionis licèt sedulò amoveas. Nempe interno sensu observamus, quam opinionem de rebus foveamus, num, cùm illiciti Conscientiâ abstineamus, licèt errores nostros videre non possimus, ut eos, quà tales, retineamus. Quare *cùm demonstraverimus, Ceremonias*, de quibus loquimur, *è Medio atque Indifferentium numero sumptas in Rebus sacris non alio consilio à Nobis adhiberi, quàm Apertio Capitis adhibetur, aut olim Laceratio Vestis; Res ipsa vociferatur, nos esse à Superstitionis crimine liberos: quo illi utique tenentur, qui ab Licitis illis per Conscientiam abstinent.*

Sect. 5. Neque elabitur Disputator, cùm Part 3. p. 115. ait. *Nos non Superstitiosi, cùm abstinemus, quia communi obedientia abstinemus, ut à Mendacio & Furto.* Nempe à furto abstines, quia est prohibitum: Gestare lineam vestem recusas, quia non est emandatum, adeoque quia est illicitum. Jam si erroneâ conscientiâ abstines, utique propter Deum abstines. Ergo recusando adhibere rem licitam, Superstitiosus es.

Sect. 6. Fatetur enim Rev. Cawdreyus Account. Audit. p. 118. *Se neminem nosse, qui Genuflexionem in Sumptione Eucharistiæ, & signum Crucis in baptismo Superstitionis accusaris, nisi quòd putarint Ceremonias illas (à quibusdam) factas partem cultûs.* Hinc ipse passim in illo libro testatur, se non eo nomine

Ceremonias

Ceremonias Ecclesiæ Anglicanæ accusare, nisi pars Cultûs fiant. Nam p. 50. illa Hammondi, Ceremonias atque Dies Festos ne in minimo quidem gradu Superstitionis teneri, concedit si non faciant partem cultûs. Videsis p. 357.

Sect. 7. Jam verò manifestum, Reterfortem atque Disputatorem Genuflexionem in Eucharistiæ sumptione Idololatriæ formalis accersere. Igitur ex conscientiâ abstinent, ne coram Deo polluantur. Unde sequitur, quòd Cawdreyi judicio sint Superstitiosi; quia si genuflexio citra superstitionem in sumptione adhiberi potest, aut vestis linea gestatur, sequitur quòd, ut sic, non sit in statu Cultûs, nisi cultûs opinio addatur.

Sect. 8. Hactenus igitur in portu navigamus. Nam. 1. *Nullus actus externus sua Naturâ indifferens est Superstitiosus, sed fit talis per Impressionem Intentionis Animi.* Nam nisi actui ejusmodi plus adscribas, quàm aut Dei promisso aut internâ naturæ efficacitate præstat; vel ab eo per Conscientiam erroneam, ut ab illicito, abstines, concipere non possum, quomodo Superstitionis reus fias: neque exemplum coram Imagine adorantis huc facit: qui est utique Superstitiosus, quia falsam de Cultu opinionem habet. Nempe cùm quid facis, unde aliquid commodi speras, necesse est, ut quasdam animo cogitationes volvas. Hæ Cogitationes sive expressæ sive confusiores

Superstitionis reatu revera involvunt, cùm de cultu agitur, quando per mentis errorem judicas aliquid faciendum, quod fieri est nefas. Unde Danielis socii, si coram Imagine procidentes putâssent Jehovam licitè coràm eâ adorari, Idololatriâ peccâssent; si autem prolapsi in terram, Idola Gentiúmque Dæmonas diris devovissent, nullo Supremo Numini cultu oblato, gravissimo mendacio & æquivocatione sese polluissent. 2. *Ceremoniæ Anglicanæ ex Indifferentium numero sumptæ sine Intentione Divinæ Virtutis adhiberi possunt.* Ergo non magis sunt in statu Cultûs, quàm Capitis apertio, & cilicium. 3. *Ceremoniæ illæ in officio docendi considerata non opus habent institutione novâ; sed ut Genuflexio coram Rege humilitatis admonet: ita ejusdem Civilis significationis vi colligit Animum, cùm ad Deum acceditur.* Unde sequitur, quòd Superstitionis sint vacuæ.

Sect. 9. Sed & illud tenendum; *Cùm obedientia Ecclesiasticis Canonibus præstanda est; non ad Intentiones quorundam respiciendum esse, sed sensum Ecclesiæ.* Malè igitur quidam Ceremonias Superstitionis damnârunt, quòd putârunt (ut Cawdreyus loquitur) *à quibusdam partem cultûs fieri*: neque enim Conscientia mea, sine meo facto, tuo errore polluitur; neque Privati opinio aut falsa interpretatio mihi fraudi esse potest ad mentem Ecclesiæ

judicium

judicium conformanti. Cùm igitur Ecclesia negat se Ceremonias istas atque Dies festos partem Cultûs facere; & per consequens, cùm ad earum me observationem obligo, nec in ullius Doctoris privati jurem sententiam; fieri non potest, ut aliorum error me contaminet. Et tamen omnes negant se partem cultûs facere; licèt in disputationis æstu quædam inconsideratiùs dicta exciderint, quæ Charitas bonignâ mollire interpretatione jubet.

Cap. IX.

Probatur Ceremonias non esse Idololatricas.

Sect. 1. Doctissimus Reterfortes de Jure Div. Regim. Eccles. Q. V. *Genuflectionem in Eucharistiæ sumptione ream esse Idololatriæ contendit. Religiosam Inflexionem Corporis esse essentialiter Adorationem, cùm in statu Cultûs est, licèt aliàs sit indifferens. Inflexionem coram Idolo esse Religiosam, etsi non fiat, cum adorandi Intentione; aliàs facios Danielis potuisse coram Idolo verum Deum adorâsse. Vituli Jeroboamitici cultores, etsi Jehovam adorarent, Idololatriæ reos fuisse. Ut risus, ploratus, tristitia: sic nec Religiosa prostratio in cultu pendet à nostrâ Intentione. Cùm quis flectit genua, ut clavum infigat, non habet*

Intentionem Cultûs, sed Artis: sed in Actu adorationis est Adoratio.

Sect. 2. R. Universi Cultûs externi (de hoc enim loquimur) essentia in Rebus à Deo imperatis consistit. Hisce quicquid additur, macula est. Igitur qui prædicat Verbum Dei vel audit, qui orat, qui Eucharistiam sumit eo modo, quo à Deo instituta sunt, rite facit. Cùm de suo aliquid admiscet, Formulam, quod etiam in Civilibus Rebus est nefas, corrumpit. Quare intra illos Cancellos Actus Religiosi ex Dei sententiâ terminantur; neque propriè Religiosum Dicendum, nisi quod à Deo institutum est, aut ab homine contra ejus Mentem Religioni infertur. Nam cùm Religio Deum Auctorem habeat, objectivè illud tantùm ex ipsius mente Religiosum est, quod ab ipso est institutum. Prostratio adorantis coram Imagine Religiosa est, quia à Deo prohibita. Quod si homines vim aliquam in Circumstantiis à se excogitatis ponunt, quam nec Deus promisit præstare, nec Natura per se apta est, eis Religionis Forma ab erroneâ Intentione imprimitur; quod & fit, cùm per conscientiam à licito ut illicito abstinent. *Quare Vestis Religiosa & Genuflexio Religiosa vocabula ad terrendos homines inventa Quæstioni tenebris effundunt.* Nam *nisi demonstraveris Ritum Significativum à Gentibus institutum, cùm ad Virtutis aut Religionis exercitium adhibetur,*

in statu Moralitatis esse, frustra verborum terriculamentis metuendus es. Si Genuflexio in actu Cultûs Cultûs est, erit & apertio capitis & cilicium. Hæc verò à Deo in cultu esse imperata nunquam probaveris; & quia in eo licitè adhibeantur, atque à Deo probentur, sequitur, quod non sint formaliter intra Circulum Religionis externæ: sed eam tantùm ut extrinsecum ornamentum circumstent. Dicendum igitur, Gestus significationem Moralem habentes ad Religionis exercitium licitè transferri, neque partem Religionis esse aut quicquam objectivè Religionis continere, quia non mandati: non magis quàm Sacrificiorum ὀρθοτομία pars externi cultûs erat; quando eam à Deo imperatam non legamus.

Sect. 3. Disputator contra Ceremonias Anglico-Papisticas hanc quæstionem fusissimè tractat Part 3. cap. 2. à pag. 128. ad 191. *Ait esse monumenta Idololatriæ commissæ. Omnes res & ritus Idololatriâ notoriè polluti omnino abolendi sunt, nec ut sacra habenda, nisi vel Deus vel Natura ad usum necessarium destinaverit*: probat ex Es. 30. 22. p. 136. *Templa, Cathedras, Vasa, Campanas esse ad usum necessaria: nec utimur ut rebus sacris, sed naturalibus.*

Sect. 4. R. Si diceret, Cruces ligneæ apud Papistas infames sunt; Ergo removendæ; speciem ad minimum Rationis prætenderet;

 sed

sed quomodo sequitur, Genuflexio apud Papistas est Idololatrica; ergo nefas adhibere in cultu; quia Deus mandavit, & Idola Gentium ab Israelitis destruerentur. Quid si standi habitum & Sessionem polluerent, num resupini in tergum adorabimus? Quòd Apostolus Christianos Idolothytis in Gentilium templis vesci prohibuerit, concedimus: fatemur serpentem æneum ab Ezechiâ propter Idololatriam fractum: seb quibus fidiculis extorquebis hinc sequi, gestum suâ Naturâ in cultu licitum & à Deo permissum adhibere nefas esse, quia alii ad Idololatriam eo abusi sint. Nam Idolothyta, quâ talia, revera ad Dæmones Relationem habebant; igitur illis vesci erat nefas. Et Deus lege prohibuit, ne Creatura adoraretur, ne serpente quidem illo excepto. Sed quâ lege prohiberis uti gestu in medio posito, quem in suis Deus approbavit, licet Idololatriâ Gentilium contaminatum?

Sect. 5. Igitur inverto Disputatoris Argumentum. Quicquid suâ Naturâ est licitum, id abusus alterius mihi illicitum non reddit; nisi scandali casus immutet rem, de quo nunc non disputamus. Et sanè miror, cum Genuflexionem in Genere inter licita ponere, quando compertum sit, Pontificios non tantùm ponere genua, cùm sumunt Eucharistiam, sed & cùm Coram Imaginibus preces fundunt. Quando autem Disputator concedit tem-

pla

pla retineri posse (quæ tamen per tot secula fuerunt polluta, cùm Genuflexio mea nunquam polluta sit) à Pollutione, quà tali, se non ducere rationem ostendit: sed à re pollutâ, quatenus usum habet vel non habet: nec elabitur, cùm ait, se illis non uti, ut rebus sacris; nam & nos partem cultûs Ceremonias negamus, atque ut Circumstantias Indifferentes adhibemus.

Sect. 6. Quæ Disputator cap. 3. p. 149. seq. proponit argumenta, è dictis diluuntur. Nempe ait, *Ceremonias esse participativè Idololatricas, quia ab Papistis Idololatricè adhibeantur*; Igitur esse illicitas. Probat ex illis locis, quibus Israelitæ prohibentur in statutis Gentium ambulare. Lev. 18. 3. Deut. 12. 3. Exod. 23. 24. seq. Nempe locorum inspectio ostendit, defectionem à Jehovâ & cultu à Mose præscripto prohiberi. Si diceretur, nefas est in statutis Mahumedanorum ambulare, an hinc sequeretur, Ergo nefas est flectere genua, aut stando peragere sacra, quia ipsi sic faciunt? Ita loca Lev. 19. 27. seq. cap. 21. 5. Deut. 14. 1. 20. 9. seq. 2 Chron. 13. 9. ritus rationales Gentium populorúmque non prohibentur, quia Israelitæ prohibentur *circumcidere pilos ad latus capitis: corrumpere latus barbæ: cæsuram pro mortuo indere: inscriptionem stigmatis imponere.* Nam hæc Superstitiosa erant, ut interpretes ostendunt; & licèt

nihil habuissent superstitionis, erant stulta; nos autem de Genuflexione, de Candidâ veste, atque crucis signo agimus, quæ nec Indecori umbrâ sunt deformia, nec in Religiosis tantùm actibus adhibita. Nam crucis signo Veteres usi, ut se Christianos publicè demonstrarent: & Veste candidâ Matronæ significationis causâ induebantur; atque Religiosissimus David hortatur Cives suos, ut coram Jehovâ genua ponant Idololatricæ pollutionis fæditate non absterritus. Cùm Ariani trinâ immersione uterentur, nemo Vitio dat, quòd Concilium Toletanum immersionem unam instituerit; sed nec probabile, eos aliquâ lege obligatos fecisse. Si Papistæ rerum notas ut fures (sicut Cicero de Stoicis loquitur) mutaverunt, ne nosci possint, an nefas erit aliis restituere veras? Neque, puto, solidâ ratione probabis, Augustanis non licuisse vocabulo Missæ Eucharistiam insignire à Papistis ad rem aliam applicato. Quare non est, ut Disputator cum Parkero ludat, quò ridiculâ absurditate Prælatos premat; *si quis Prælatos Fratrum Tyrannos, Fures Ecclesiæ, Veritatis Sophistas antiquam exonsans significationem vocaret.* Nam quorsum hi aculei, quibus dum pungunt Prælatos, semetipsos ridendos præbent? an putabunt vocabula bona hominum vitiis ita corrupta, ut crimen sit veteri significationi restituere? an quia vocabula quædam consuetudine in sequiorem

significa-

significationem sunt detorta, flagitium admittit, qui Humani Generis jure utens in Medium deducit Ritus indifferentes, eíque suam Naturam reddit ab aliis per errorem fœdatis? Sanè Clarif. Viri, Chamierus, Halsenmannus, Riverus, Protestantes Catholicos vocant, licèt ea vox nec Pontificio significato nec Veteri per omnia præsentis Ecclesiæ statui congruat; ut Doctissimus Fieldus observat. Et infirmum ducitur argumentum à particularibus Ecclesiarum probatis exemplis, nisi Circumstantiæ principales judicium idem ferre suadeant. Quare cùm Apostoli in sacris genuflexione usi fuerint, nisi specialis ratio in sumptione Eucharistiæ obstet, à Superstitione haud dubiè immunis erit.

Sect. 7. Igitur jam res ad Triarios venit, ubi ultimum adversus Ceremonias Disputator impetum effundit, cùm Idololatrias accersit. Infandum crimen & Christianis abominandum! Igitur cap. 4. p. 163. ante pugnam brachia jactat, cùm ait; *Nisi tam ex Scripturâ, quàm Sanâ ratione probaverimus Ceremonias illicitas esse, non recusoquin, ad eas Cultûs causâ adhibendas obligemur.* Nam sic intelligo verba illa, *let us then be bound to use them for Ordinance sake.* Nisi forsan hoc tantùm velit, quòd uti velit in cultu Circumstantiâ licitâ ad decorum faciente; nam per Ordinance Legem Parliamentariam intelligere, quâ obser-

vandæ

vandæ præcipiuntur, nimis remotum eſt. Et ſuprà p. 144. dixit, *Donec mundus erit, nunquam probabunt Genuflexionem & reliquas Ceremonias controverſas, ſive neceſſarium, ſive utilem, ſive licitum uſum habere.*

Sect. 8. Rationes ſunt p. 169. *Genuflexio Religioſa coram pane, nobis ut ſignum propoſito loco Chriſti, & coram quo adoramus, dum actualiter nobis eſt imago repræſentans Chriſtum, eſt ipſa Incurvatio & Adoratio in ſecundo Præcepto prohibita,* & p. 170. *Genuflexioni in receptione actuali Sacramenti coram ſignis vicariis, quæ ſtant loco Chriſti, & cum intentione in Adorationis actu nobis propoſitis, ut coram illis adoremus, nihil deeſt ad Idololatricam coadorationem, vel cultum relativum. Nam eſt talis, etſi non habeant Intentionem Adorandi, quia aliàs non eſſet Cultus Dæmonum,* & p. 172. *Genuflexio in actu receptionis propter Venerationem Sacramenti eſt Idololatria.* Et p. 173. *Ad Epiſcopi Linidſai verba reponit; ſi intelligit de Spirituali receptione, cur non lege ſanciunt, ut verbum flexis genibus audiamus?* p. 174. *Dices, Vos aperto capite recipitis? R. Aliud eſt Veneratio, aliud Adoratio. Coram æquali caput aperimus, quem non adoramus; ut poſitis genibus adoramus Regem.* p. 175. *Veneratio aperto capite imagini facta, eſt Idololatria; quia eſt res prophana; coram Rebus Sacris non eſt.* p. 176. Oſtendant nobis objectum. *Ajunt ſe*

adorare

adorare Carnem Christi: sed & hoc Idololatricum est: vel se adorare Humanitatem Christi propter personalem Unionem cum Deitate. Et p. 182. *Nam cùm receptio Sacramenti sit Cultus Dei mediatus, in quo Elementa veniunt inter Deum & nos eâ ratione, ut pertineant ad cultûs substantiam (nam sine Elementis non est Sacramentum) & præterea sunt Adorationis susceptiva, ita ut in receptione eorum animus noster atque sensus externi in ea intendendi sint; hinc probamus Genuflexionem Idololatricam in receptione.* Loca, 2 Chr. 6. 12. seq. Mic. 6. 6. *non facere ad rem; quia non incurvârint se coram altari, & sacrificiis, sed coram Deo, p.* 183. *Deum in rubo fuisse immediatè præsentem, in Sacramentis esse præsentiâ mediatâ, viâ dispensationis ordinariæ. Et p.* 184. *Si dicant se Deum adorare. R. quòd Genuflexio habeat Relationem ad Elementa proposita. p.* 185. Si dicant, non magis flectimus genua pani, quàm suggestui, cùm oramus. R. Hunc *Accidentaliter nobis propositum esse, non cum Intentione: Non respici, quatenus habet statum Religiosum in Cultu.*

Sect. 9. Hæc fusiùs excerpta, quia responsioni locum aperiunt. Idololatria est, cùm cultus terminatur in non-Deum, licèt non sit terminus ultimus Adorationis, sed Medium ad Deum evehens. Nam Intentio Mentis est Idololatrica, quia simul fertur in id, & per id ad terminum

terminum ultimum provehitur. Israëlitas adorâsse bovem Psalmista testatur, quando coram vituli imagine Jehovam adorabant. Psal. 106. 19, 20. Deus enim Imaginem in ordine ad Adorationem fieri prohibuit.

Sect. 10. Observandum autem. 1. *Nullam Creaturam inanimatam esse proprie loquendo Honoris capacem.* Amamus honores, divitias, voluptates & alia humanæ vitæ instrumenta, & miramur rerum virtutes agendi: & tandem attoniti erigimur ad contemplationem Creatoris, quem propter Sapientiam, Benignitatem, Potentiam honoramus.

Sect. 11. Sed & 2. *Creaturam Ratione præditam Honore prosequimur, quia Creatoris imaginem gerit.* Nam proprio in nobis sensu illum à Deo insitum instinctum deprehendimus, cujus dictamine jure quodam nostro postulamus, ab aliis tales haberi, quales esse debemus, atque propter rectè facta honorari. Hinc contemptu & ignominiâ notam inurimus aliis, quâ significamus non esse dignos, de quibus excellentiæ illius opinio foveatur, quorum rectè facta celebrentur.

Sect. 11. 3. *Honoramus etiam alios propter officia in nos collata, licèt inferiores*; quia beneficium acceptum obligat Conscientiam, ut agnoscamus nos debere aliis, quia accepimus. Equos autem & Boves oratores non honoramus, licèt maximis beneficiis affecti. Et licèt

Servos,

Servos, nisi egregio facto nomina nostra obligârint, non honoramus; interim contemptu & ignominia infimæ sortis homini fit injuria.

Sect. 12. 4. *Formale igitur Honoris objectum est Agens Rationale, quà tale.* 2. *Ejus præclarum aliquod munus.* 3. *Rectè facta*; Cujus Virtutes atque facinora quantò præclariora sunt, tantò majorem honorem merentur. Et quia beneficia accepta ad gratitudinem obligant, hinc quantò plura accipimus, tantò plura debemus. Unde recta Ratio docet, in officio publico constitutis quàm privatis majorem honorem deberi; quod & facimus, in nos licèt nihil juris habeant.

Sect. 13. 5. *Deo summum Honorem deberi*, quia excellentiæ summæ cùm sit, in omnes absolutum Imperium habet, quos suâ benignitate ita fovet, ut teneantur ei accepta ferre omnia, etiam quæ per Creaturas obtingunt. Hinc Cultus summus cum omnimodâ Creaturæ Dependentiâ ei debitus.

Sect. 14. 6. *Honor ergo Deo præstandus distinctus specie ab eo est, qui Creaturis exhibetur.* Nam cum ita Honoramus, ut ei nos tradamus totos; omnia nostra ab ipsius benignitate ducere originem profiteamur; & cunctis in eum feramur viribus. Creaturas autem Ratione præditas honoramus in ordine ad ipsum; ita ut ipsarum honor ad ejus gloriam tendat;

tendat; quia Divinæ excellentiæ in eis quædam umbra adspectabilis est.

Sect. 15. 7. *Hinc etiam Rationis expertes creaturas, quas Deus peculiari quadam ratione suas facit, per quas præsentiam suam commodat, Veneratione dignas judicamus*: Non propter aliquam insitam excellentiam, sed propter relationem ad Deum. Ita templum Hierosolymitanum & omina Vasa sacra erant, quæ usu communi polluebantur: ita Signa Sacramentalia habemus in pretio, propter Deum per ea se Hominibus ratione peculiari exhibentem. Et hæc causa est, cur Genus Humanum non Reges tantùm, sed Regum purpuram colendam putet, hoc est, propter gestantem habeat in honore; quam in officinâ pannis reliquis viliorem æstimaverit. Nam Majestatis insignia, Diplomata, aut alia quibus se ostentat, qui procaci petulantiâ contemptim habet, facto ostendit, quanti Regem habeat.

Sect. 16. 8. *Cùm autem non Hominibus tantùm sed & Angelis propter Naturæ suæ excellentiam atque officia, quæ Ministratorii illi Spiritus hominibus præstant, honorem exhibeamus*, quæri potest, *Honor ille Civilis num Religiosus dicendus sit?* Idem etiam de Veneratione rebus Divinis exhibitâ procedit. Nam cùm illis non propter usus commercia ad civilis vitæ usum pertinentia tribuamus honorem: sed quia Imperio Creatoris nobis non adspectabiles

stabiles commodis nostris consulunt; absurdum Videri possit, Honorem illum Civilem vocari. Verùm, nisi fallor, de vocabulo rixamur. Sufficit, Honorem illum non esse Divinum uni Numini debitum: sed talem, quem eminentissimi illi Spiritus merentur; aut qui in res inanimatas Deo peculiari quadam ratione attributas cadere potest. Hinc etiam aliis disquirendum relinquo, num Honor Creaturis tributus diversas species habeat, an graduum tantùm diversitate sit adspectabilis? nam rationes, cur honorandæ sunt, in omnibus non sunt æquales.

Sect. 17. Hisce positis, juvat resumere, quam Disputator sibi Objectionem proponit, p. 174. Dic. *vos aperto capite Sacramentum recipitis.* Res. *Aliud est Veneratio, aliud Adoratio.* Et ex Spalatensi addit, *res inanimatas Sanctas mereri honorem in sensu negativo. Venerationis gradus intendi & remitti possunt; & Veneratio major sacramento debetur, quàm verbo, quia verbum prædicatum est divinum mixtè & mediatè.* Et p. 175. *Veneratio aperto capite imagini exhibita, est Idololatria, quia plus tribuit, quàm habet; non est, cùm datur rebus Sanctis.* Ego verò dico, Venerationem propriè non competere rei inanimatæ: sed quicquid ei debetur, in ordine, ad eum, cujus est, æstimandum. Sic Vexilla Regia, & Diplomata honoramus: sic veneratione dignum judicamus,

mus, quicquid divinæ institutionis est. Sed *Quæro, Veneratio illa ad primam tabulam, ut solemus loqui, pertineat, num secundam?* Si illud, erit λατρεία; si ad secundam retuleris, quæ Creaturis debitum Cultum præcipit, Disputator distinctione inter Adorationem & Venerationem frustra tenebras offundit. Nam ipse Genuflexionem coram Rege Adorationem Vocat, nec Idololatriæ tamen accersit. Distinctio ergo illa non incîdit nodum. Quæro, *an fas sit aperto capite panem Eucharisticum venerari.* Hoc cùm concedat, *quæro, An Veneratio* (quæ utique est positivum Animi judicium summo Elementa in pretio habentis) *quâ in panem feror, sit eadem cum eâ, quâ feror in Deum?* Hoc concedere nequit quia adversarios Idololatriæ Relativæ postulat. Si igitur est distincta, & quidem Specie; Quæro, *an Venerer Elementa in ordine ad Deum, à quo instituta sunt?* Hoc negare non potest, quia ipse Veneratur, quatenus signa Divina sunt, & Idololatrias crimen impingit res prophanas eo modo veneranti. *Quid igitur dicemus?* Nempe, secundùm Disputatorem Veneratio, quæ in Creaturam fertur, est licita, Adoratio non est. Quis non videt, incertâ vocum significatione atque confusione hîc perturbari omnia? Nam & Disputator negat, p. 176. Carnem Christi adorandam, cui cultum venerationis non eripiet. Adoratio autem & Ve-

neratio

neratio Deo tributa eandem vim habent; quia cultus ei in gradu summo debetur; cùm ad Creaturas accommodantur, distinguuntur, quia Adoratio summum honoris gradum includit. Hinc omnes Homines, quà tales, Honorare tenemur, sed non Venenari; nec quem veneraris, Adorationis cultum statim debes.

Sect. 18. Igitur hinc sequitur, quòd Deo Cultum præstantes Divinum, præstemus etiam Venerationem Divinis rebus, quas instituit, non externâ tantùm motuum Corporis significatione, sed & interno Animi Judicio Affectúque: quam sive Genuflexione, sive apertione capitis significes, ad rem nihil facit, hoc solùm facit ad rem, quòd signo aliquo morali testeris te honorare rem divinam. Hoc cùm licitè facere putas; quæ, malùm, Animi perversitas est, Tibi apertionem capitis ut licitam permittere, & Genuflexionem mihi ut Idololatricam objicere? quando ne rationis umbrâ probare possis, distinctionem Venerationem inter & Adorationem item tantam decidere, ut mihi Idololatriæ crimen objicias. Et licèt cùm de Pane Eucharistico est sermo, tergiversari possis, & distinctionem illam urgere; cùm ad Humanitatem Christi eam transtulerimus, omnibus excussus latebris teneris. Nam Humanitas Christi, quam Adorandam negas, utique tanto honore digna erit, quantum Regi concedis. Hunc autem Adorari dicis.

Sect. 19. Hæc sine partium studio animo versata ostendunt, Disputatorem iisdem premi difficultatibus, quibus irretitos Adversarios putat, quando Idololatrias appellat. Quare dicendum, *Nostram Adorationem, quam vocat, non magis esse Idololatricam, quàm ipsius venerationem.* Et Rege honorem Equitis Aurati conferente, cum gladium in manus dat, nemo dicit gladium adorari, licèt positis genibus recipiatur, quamvis propter dantis dignitatem affectu in eum feratur: Ita ipsa Sanitas rationis respuit cogitare, panem Eucharisticum adorari, cùm flexis genibus in receptione ejus adoramus Deum, nisi aliquo signo prodamus Intentionem. Quæritur, an adorare liceat, cùm in manum dat beneficium, beneficio posito ante oculos, & quidem de industriâ? Sanè, nisi judicio fallor, ipsa Quæstionis propositio clamat fas esse. Disputator quidem, p. 186. ait, *In recipiendi actu nos nec orare licitè, nec laudare; Animum meditatione mortis Christi exercendum.* Atqui dico, cùm Redemptoris mortem recolo, annon fas est toto animo me ei subjicere, & devolvere in eum ut Deum, ut Redemptorem? Si fas est, licebit adorare. Et quia Animi motibus internis licet colere, fas erit signo externo testari cultum.

Sect. 20. Igitur illud, quod toties cap. 4. Disputator repetit, signa Sacramentalia de industriâ poni ante oculos, quæ cùm intercedant

inter Deum & nos, reddere Idololatriæ reos, ostendunt aut eum rem negligentiùs animo Versasse, aut distinctionem inter Cultum Mediatum & Immediatum adhibuisse, ut suprà inter Adorationem & Venerationem distinxerat. Quid enim? an nefas erit colere Deum, cùm quid in manus recipio, quo testor me Christum pro unico Redemptore meo atque Rege agnoscere? An piaculum committit, cùm Christi Humanitatem Adorans intuetur? An Contaminabit Sacramenti Sanctitatem qui pane in manus sumpto dixerit, Ago gratias pro Christo, cujus morte redemptus sum, quem Animæ meæ Symbolorum Sumptione per fidem applico? vel ita; Benedicte Jesû, tui merito sanguinis à morte redemptus sum, bibam ex mandato tuo fide in verba tua recumbens fore, ut Animam sanguine tuo refocilles? Igitur quocunque me verto, nihil video, quòd tenuissimâ suspicione Idololatriæ animum turbare queat, quicquid noster de Cultu Mediato & Immediato dixerit. Nam si sacramentum humili Animo sumendum; Ergo humiliare licet, Ergo humilitatem externo signo testari. Sanè Israelitæ jubentur ad templum conversi adorare. Illud igitur de industriâ in præstando cultu oculis objectum fuit, ut res ipsa testatur. Interveniebat ergo inter Deum & ipsos, sicut nunc panis intervenit. Quòd si divinorum signorum interventus Genuflexionem Idololatricam

tricam reddit; sequitur, nefas esse baptizare adultum ponentem genua. Dicendum igitur, Genuflexionem, quatenus ad Deum fertur, esse latriam; (quam etiam apertio Capitis significat) si eam ad panem referas, esse honorem signo Divino debitum, quem alii solâ capitis apertione testantur. Panis enim licèt non sit propriè capax honoris, Ratio tamen dictat propter officium, quod gerit, Sacramentale in summo pretio habendum; ut gravissimum admittere flagitium Minister censendus sit, si in distributione partem cani de industriâ objiceret; licèt aliàs non sit nefas panem triticeum canibus devorandum dare.

Sect. 21. Dices, *si est nefas coram imagine efficium in memoriam revocante adorare; utique illicitum eadem ratione erit contemplatione vestis lineæ suscitare memoriam puritatis, aut signo Crucis Militiam sub Christo significare.* R. vel cæcus videt, aliud esse per Imaginem, tanquam medium, adorare Deum; aliud ad conspectum alicujus rei revocari in memoriam officii. Papistæ ita adorant, ut Animo in actu Cultûs ferantur in Imaginem & in Deum. Si qui aliter faciunt, meum non est Intentiones vocare ad partes. Atque hinc Adoratio Relativa nata est. Cùm autem vestem lineam adspicio, non exhibeo cultum per eam, ut cultûs medium, & Deum precibus solicitans, ut ipsius ope purus sit animus, sicut vestis est pura, non adhibeo contemplati-

templationem puritatis in veste, ut medium, quo gratiam purificantem impetrem. Sed sicut aspectio Capitis colligit Spiritus in statum, & officii humilitatis admonet: sicut contemplatio Aquæ, Vini, Panis, Plantarum, aliorumque, quibus aut Spiritus Gratia, vel Pii, aut Christus ipse comparatur, occasionem De rebus Spiritualibus cogitandi suppeditat: Ita etiam vestis adspectus memoriam officii refricat. Vestis itaque illa significativa non est magis in statu Religionis, hoc est, partem Religionis exteriæ efficit, quam Habitus alterius decorus, quem utique eo consilio adhibes, ut cultui externo decus conciliet. Nempe Deus non mandavit vestem albam. Ergo non est Religiosa ex ipsius instituto. Nos negamus eam adhiberi, quia cultus Deo gratior futurus sit & sanctior; non ergo utimur cum Religionis Intentione. Restat igitur, ut Adversarii probent Deum prohibuisse uti ritibus significativis, qui Naturali suâ habitudine rem tantum ob oculos ponant, & nullius Gratiæ aut Virtutis collativi sint, nec pro talibus ab illis, qui eos usurpant, habeantur, antequam Superstitionis & Idololatriæ crimine damnent, quod non probabunt donec Mundus erit, ut Disputatoris verba in hac ipsâ causâ mea faciam.

Sect. 22. Hinc sequitur, *Prælaticorum utique valere responsum, cùm dicunt, se non procumbere in genua cum Intentione adorandi Pa-*

nem; Igitur se non esse Idololatras. Nam Gentilis coram Idolo procidens, licèt non intendat Dæmonem adorare, adorat tamen; quia Animus ejus fertur in non-Deum, aut non eo modo, quo adorari vult. Cùm Pontificius imaginem cum Deo conjungit, atque uno actu morali (licèt pluribus physicis constet) utrumque complectitur, Idololatriæ reus est. Ut autem Prælaticos Idololatriæ convincas, necesse est, ut probes, non esse fas in Eucharistiæ sumptione Deum colere. Et si ex abundanti concesserim, Genuflexionem etiam ad divina Symbola (coram quibus caput aperis) terminari, demonstrandum est, esse cultum divinum pertinentem ad primam tabulam. Nam cùm Disputator fateatur, Venerationis gradus dari, cur mihi vitio vertet, si significationem summi gradûs eis exhibuero, quam ipse sine ullius suspicione Idololatriæ Regi exhibet?

Sect. 23. Summa huc redit; Genuflectio perinde ac Capitis apertio è medio civilis usûs desumpta, in sumptione Eucharistiæ adhibentur. Utraque cùm Dei causâ fit, Cultûs divini sive λατρείας signum est. Cùm ad Creaturas divinas feruntur, ad aliam Honoris (sive Venerationem dicas sive Adorationem) speciem pertinent. Bonorum ergo Virorum Protestationi non abroganda fides, cùm negant, se summo cultu Creaturas prosequi; quando utrinque constat, esse Venerandas; hoc est, habendas

habendas in pretio, aut magni æstimandas.

Cap. X.

De Ceremoniarum Indifferentiâ.

Sect. 1. POstquam decretoriis armis Disputator certaverat, tandem post aliquot digressiones Part. 4. p. 321. Disputationem contra Ceremonias argumento de rebus Indifferentibus claudit. Igitur cap. 3. p. 329. Prop. 5. ait, *non quicquid suâ Naturâ est Indifferens, est & Indifferens usus: sed Indifferentium usus semper vel eligendus vel repudiandus est secundùm Regulas, 1. Pietatis,* 1 Cor. 10. 31. Rom. 14. 7. seq. Col. 3. 17. *2. Charitatis,* Rom. 14. 21. 15. 2. 1 Cor. 10. 23. *3. Puritatis,* Rom. 14. 14. Atque deinde latè deducit, Verbum Dei non admittere Indifferentium usum, nisi secundùm prædictas Regulas adhibeantur, ita ut (p. 338.) *circa cultum nihil sit Indifferens, sed omnia secundùm prædictas Regulas esse facienda.*

Sect. 2. R. Res extra controversiam est posita, Indifferentes ritus in sacris ita esse adhibendos, ut ad Dei gloriam referantur & ædificationem aliorum; adeóque in Actu Exercito ad Bonum vel Malum contrahi. Nam finge

inter nos Pœnitentem induto cilicio, nudis pedibus, & cinere inſperſo, veſtibuſque ſciſſis lentè ambulare (1 Reg. 21. 21.) ſi non contra decorum, hoc eſt, ridiculè facere videretur, hypocriſeos tamen injicere ſuſpicionem poſſet. Et tamen ſi Anglus inter illas Gentes eo habitu uteretur, nullius reprehenſionem incurreret. Quare Zanchius ſalubriter monet de Ceremoniis non eſſe rixandum. Modeſti ingenii eſt ſe in hujuſmodi rebus componere ad reliquorum mores: quod utinam in Angliâ factum eſſet, tam late Religionis fœdiſſima ſtrages non fuiſſet edita.

Sect. 3. Igitur tam qui recto, quàm qui aperto capit ſacra facit, rectè facit; ſed non facit rectè, ſi ſe Anglus tegat in Angliâ, non tantùm quia Hominis incivilitas vulgò rideretur, ſed etiam quia peccat in Regulam charitatis, dum contra Animi, ſe in hiſce rebus Gentis moribus ſubmittere debentis, ſobrietatem & Modeſtiam agit, & occaſionem de ſe malè cogitandi vel invitis dat.

Sect. 4. Quòd ſi ergo quis negaret, ſe bonâ cum conſcientiâ poſſe aperire caput (quem ritum nec Lex Dei præſcribit nec Naturalis Ratio Gentibus omnibus dictavit) ne Divino aliquid Cultui addere videretur; annon offendere dicendus, ſi eodem corporis ſtatu, quo Chriſtus accubuit, eodémque veſtium cultu ornatus capite tecto Euchariſtiam acciperet?

Non

Non dubito, Trementes noſtros peccare, cùm in Regis conſpectum venientes non aperiunt caput. Nam ſi putant, nefas eſſe quia contrà Dei legem, quis ab errore: ſi autem eo conſilio faciunt, ut oſtendant ſe ſummam Poteſtatem gerente nihil inferiores eſſe, quis à ſuperbiâ vel potiùs ſcelere abſolvet? Et tamen illi datâ operâ omittunt illa honoris ſigna, ut ſuo Jure uti videantur.

Sect. 5. Scilicet Ritus iſti in ſe nec boni nec mali ſunt: ſed accipiunt formam ab Internis Agentis actibus. Habent peculiarem Moralitatem à Virtutis ſanctitate & vitii turpitudine ſeparatam; hinc cùm ab Agente Morali aſſumuntur, neceſſe eſt, ut vel ſplendeant gloriâ virtutis, aut vitii maculâ turpes ſint, quia impoſſibile eſt, ut Agentis Moralis Actus non ſit vel Bonus vel Malus. Nempe Recta Ratio pro cujuſque Gentis genio ritus præſcribit, quibus internos Animorum affectus Humanum Genus teſtetur; unde fit, ut cultus apud quoſdam modeſtus, ab aliis Ruſticitatis damnatur; neque in ſignis, quibus honorem exhibemus, omnes homines ſententiis congruant.

Sect. 6. Et hoc ſenſu Doctiſſimi Hammondi verba intelligenda ſunt, Defenſ. Tract. de Superſt. p. 197. n. 3. *Qui humillimorum in Cultu geſtuum uſum defendit, & affirmat Deo magis, quam minùs humiles, probari, vel illis, qui in ſe nihil humilitatis habent, non ponit in*

eis

eis cultum, sed Deum sine illis coli posse libenter agnoscit. Respicit nempe ad morem Gentium, quarum judicio, qui Ritus sint Humillimi, determinandum; sicut etiam determinandum est, an infimæ humilitatis significatio huic vel illi actui sacro conveniat.

Sect. 7. Illa tamen Verba exemplo Christi minimè exagitanda sunt, ac si defectus in ipso fuisset, quando non adhibuit gestum humillimum. Nam licèt in Flexione non sit major Pietas, quàm si stans orates, consuetudo tamen & nostrum Judicium docet, flexionem habere significationem Humilitatis majoris. Et placuit Ahabi Pœnitentia, ficta licèt, quia se more Gentis humiliabat, 1 Reg. 21. 22. Christus ex toto corde & totis viribus fieri cultum mandat, gestus relinquit liberos. Itaque non possum per omnia assentiri Rev. Cawdreyo Account. Audit. p. 266. *Dicere Genuflexionem in Oratione aut sumptione Eucharistiæ esse gestum humillimum, & Deo acceptiorem* (quod populus rudis prætendit) *& humiliorem quàm Sessionem, est Salvatorem, ut minùs humilem, quàm se ipsum, condemnare, quod sufficit, ut se superbum demonstret; & est præterea gradus superstitionis & cultûs Voluntarii. Hæc ipsa opinio facit eam partem Cultûs, si antè non fuit.*

Sect. 8. Fateor in hisce esse facilem lapsum. Nam cùm Animus suâ inanitate efferatur, quia

S. Spiritus

S. Spiritus pleniorem auram in cultu peragendo afflat, ut de Humilitate noſtrâ & contritione ſuperbè & animo elato cogitemus; non mirum, ſi propriarum obſervatio legum cogitationes majoris ſanctitatis injiciat. Nempe rectè factorum Conſcientia gaudio perfundit pectus, quòd tuo functus officio fuiſti, nec immeritó. Sed hinc Animus ultra terminum progredi, atque laſcivire, & corruptæ carni gaudium impertire. Et licèt ter orâſſe (cæteris paribus) Deo ſit gratius, quàm orâſſe ſemel; Tu tibi magis ob numerum places, cujus Deus abſolutè rationem non habet; habet tamen, cùm rem ex ejus ſententiâ geris. Interim non video, cur non dici poſſit, Deo flexionem magis placere quàm Seſſionem, in ſe licèt nihil ſanctitatis habeat. Nam in talibus quemvis populum ex ſuo ingenio æſtimat, judicá que, ut, qui flexioni majorem humilitatis ſignificationem adſcribunt, ex officio feciſſe Videantur, ſi eâ in cultu divino utantur. Neque tamen hinc ſequetur, quòd me putem Chriſto ſanctiorem. Nam cùm nullâ ad certum geſtum lege adſtringar, cur non eligendi geſtûs erit poteſtas, qui judicio Univerſæ Gentis eſt humilitati teſtandæ aptiſſimus, Deo judicium illud & conſuetudinem approbante? Sat è Chriſtum aperto capite orâſſe (ſi morem Judæorum reſpicias) non eſt probabile, & nos tamen putamus geſtum illum convenientiſſimum;

mum; neque dubitarem affirmare, Deum utique apertionem in nobis magis probare, donec consensu mutaretur. Et licèt non ignorem populum rudem in flexione nimium ponere, persuasus tamen sum, Anglorum & Scotorum myriadas pro crimine habere, si quis Eucharistiam tecto capite sumeret. Ut sessionem ad Eucharisticam mensam urgentibus æquè cum superstitione populi rudis confligendum sit, atque illis, qui Genuflexionem prætereà probant. Et si putant ob eam causam flexionem omittendam, capita simul tegere suadeant: quamvis & hoc tandem in Superstitionem negativam migrare possit. Adeò nusquam tuta fides.

Sect. 9. Igitur non refugimus, Ceremonias Ecclesiæ Anglicanæ secundum Regulas à Disputatore præscriptas examinari. Nam sicut alii ad Dei gloriam flectunt genua: ita nos flexis genibus Eucharistiam sumimus. Flectimus autem ex corde puro, persuasi tam licitam esse flexionem, quàm apertionem capitis. Ad ædificationem faciunt, tum propter decorum, tum propter docendi officium suâ aptitudine ex Gentium consuetudine quasi naturali nostros animos in statum colligentes. Interim non damnamus Ecclesias suum sensum sequentes: damnamus, cùm nostris per Conscientiam abstinent; quia sic in Superstitionis laqueum se induunt, quo Formalistas, (sic eos honorificè adpellant)

adpellant) teneri constrictos clamant. Nam cùm adversarii ob usum illarum, quem esse Indifferentem, hoc est, licitum putamus, nos Superstitionis & Idololatriæ damnant, post tam longa certamina, putamus sine libertatis Christianæ proditione Disputationem de illis omitti non posse, nè nostri cessione Juris aut silentio ipsos in Superstitionis negativæ crimine hærentes confirmemus. Itaque Charitatis lege obligati defendimus. Indifferentes autem vocamus Ceremonias; quia non mandatæ à Deo; quia in se sanctitatem non habent; quæ adhibitæ in cultu non augent actûs bonitatem: sed externum decus addunt.

Cap. XI.

Consideratio loci 1 Cor. 14. 40. Et Dictorum de Ceremoniis Recapitulatio.

Sect. 1. Supereſt locus 1 Cor. 14. 40. quem Disputator (p. 205.) Meduſæ capitis ad inſtar pro omnibus Ceremoniis objici dicit: Et affirmat *Apoſtolum tantùm mandare, ut quævis Actio ſeu Ceremonia cultûs divini decenter & ordine peragatur, non dare Poteſtatem excogitandi Ceremonias novas. Et ex Baldvino affirmat, Decentiam opponi Levitati, Ordinem Confuſioni. Ritus Eccleſiæ non com-*

prehenduntur

prehenduntur ſub Ordine, ut Species ſub Genere ad quod pertinent; ſed Ordo pertinet ad ritus Eccleſiæ, ut Adjunctum ad Subjectum pertinet. Ordinem in omnibus, etiam negotiis Civilibus, ſervandum, Igitur Ceremonias eſſe licitas hinc non probari.

Sect. 2. Horum ergo verborum ſenſus hic erit. Ut lapides ſuo loco in ſtructurâ ædificii poſiti εὐρυθμόνως καὶ κατὰ τάξιν ſtant, ubi Decorum & Ordo non ſunt quid à lapidibus diſtinctum, ſed eorum tantùm inter ſe aptitudinis Relatio; ita S. Apoſtolus mandat, ut res ſacræ à Deo inſtitutæ ſuo loco & tempore convenienter celebrentur. Et cùm Decentia atque Ordo in rebus omnibus locum habeant, civilibus etiam; igitur hinc non poſſe elici Eccleſiam habere Poteſtatem inſtituendi Ceremonias: præſertim cùm Bellarminus eo loco ad Romanarum decentiam Ceremoniarum probandam utatur.

Sect. 3. Et quidem cùm de Actibus Moralibus externis à Chriſto inſtitutis ſit ſermo, putâſſem hoc loco mandari, non tantùm ut à precibus, aut cantu incipiant ſacra, ſuccedat deinde Lectio, Concio, Euchariſtia: ſed & ut convenienti habitu atque geſtu fierent. Ita ut non tantùm confuſionem prohibeat (cùm plures ſimul verba faciunt, v. 33.) ſed etiam clamores, indecoros geſtus, & quæ alia rebus ſacris minimè conveniunt.

Sect. 3.

Sect. 3. Quòd verba in illâ latitudine capienda ſint, res ipſa declarat, atque ex cap. 11. patet. Nam v. 6. ſeq. oſtendit, quæ ad Decorum in cœtu ſervandum faciant; nempe nè fœmina ſine velamine adſit (αἰσχεὶν γὰρ turpe enim) nè vir comam alat. Hæc cùm non ad res ſacras pertineant, ſed ad Perſonas ſacris communicantes, atque de illis rebus præcipiant, quæ Ratio ſecundùm cujuſque Gentis probatam conſuetudinem tenenda docet; utique oſtendunt, Decorum illud non eſſe tantùm ad Ordinem ſacrorum, ſed & ad Habitus Geſtúſque ſingulorum referendum. Nam ſi dedecori eſt viro comam alere, cur non & geſtuum à receptâ conſuetudine abhorrentium dedecus?

Sect. 4. Et quia Apoſtolus mores hominum non ignorabat, quin fore, qui in ordinem cogi nollent, & Libertatem, ut hodie ſit, prætenderent; hinc addit, v. 16. *Sed ſi quis videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, nec Eccleſiæ Dei.* q. d. ſi quem proprium potiùs Judicium movet ad comam alendam, & contentionis ſtudio incenſus argumentis defendere Libertatem velit: nos non ſolemus reciprocare ſerram & certamina ſerere: atque etiam Eccleſiæ ab hac conſuetudine abhorrent: quibus verbis innuit, *ad ejuſmodi res, quæ Decorum præcipiunt, Canone Eccleſiaſtico imponuntur, Hominum Modeſtiam ac Manſuetudinem*

Mansuetudinem conformari debere, atque turpe esse de libertate faciendi contrarium serere rixas. Et hæc sunt illa σεμνὰ καὶ εὔφημα καὶ ἔπαινος de quibus Apostolus præcipit. Nam in ejusmodi rebus se Præpositorum judicio, quibus obedire tenemur, permittere est utique inter laudanda.

Sect. 5. Nam si decenter omnia atque ordine in Ecclesiâ facienda sunt, necesse est, supponi Potestatem discretricem decentium ab indecoris atque ordinatricem; quando Constitutio esse non possit sine Constituente. Igitur cùm Spiritus Sanctus non affixerit loco, in quo sacra peragenda, nec tempus posuerit, nec quoties in die conveniendum, nec quo ordine sacra peragenda, quoties sumenda Eucharistia, quibus utendum precibus, quanta Scripturæ portio legenda, quibus hymnis utendum constituerit, sequitur penes Ecclesiam esse ea Judicio determinare.

Sect. 6. Cùm verò εὐσχημοσύνη sive Decentia in Ecclesiâ requisita secundi generis moralia complectatur, ita ut αἰσχρὸν turpitudinem admittat Fœmina, si sine velo prodeat; & ἀπρεπὲς Dedecori sit Viro, si alat comam; hinc sequitur licere Præpositis judicio constituere, qui potissimum Habitus atque Gestus rebus sacris conveniant; quibus fidelium multitudo sine studio Contentionis Submittere se debeat. Et quamvis non legimus, Apostolos lege sanxisse,

quibus

quibus gestibus, quo corporis habitu sacra celebranda sint, non tamen dubium est, Christianos se ipsorum exemplo conformasse, ut Paulo genua ponente & ipsi posuerint.

Sect. 7. Atque hinc licet Vestium Scissio, Genuflexio, Velamen, Aperitio capitis, Velum, & hujusmodi significationem suam habeant à Naturâ, non tamen obligant ad sui usum. Et quia significationis se decore & pulchritudine commendant, utique erit fas propter significationem eligere: si fas est, neque crimine te obstringis, cum significationem illam animo versas: quod cum facis, Tuam Conscientiam appello atque sensus, quid cogitas aliud aut potes cogitare, quàm sicut procidis in genua, ita animo coram supremo Numine humili & demisso esse oportere: sicut elevas, vel naturâ ducente, in cœlum oculos, ita etiam animum ad eum in fide tollendum. *Quæ cùm sic animo meditaris, annon animadvertis, illos alias suæ elegantiæ significationis habere docendi vias?* Nam cum Objectum suâ habilitate repræsentat atque subjicit animo, quod ipsius sit officium, annon docet? (vide Prov. 6. 6. Job 12. 7.) Aut potest alia docendi ratio inveniri, quæ se ex parte objecti habet? Quod *si dixeris, esse nefas illa contemplari*, sequetur, dari objectum à Deo originem habens, quod non liceat considerare: dari congruentiam naturalem inter res & Animum, quâ affici peccatum sit. Et

quorsum de modesto habitu atque gestu inani
Verba jactamus, nisi cogitationes modestiæ
injiciunt? & forsan femina superstitiosa
polluit cultum, quando velum eo consilio
adhibet, ut ostenderet se subjectam Viro.

Sect. 8. Atque hanc Significationem Prælatici urgent; sine quâ Ceremoniæ vanæ & futiles sint. Imò non-Conformistæ Genuflexionem & Sessionem ad mensam Eucharisticam, ut significativa, probant.

Sect. 9. Jam verò significationes illæ sunt Morales (quicquid sit de significatione naturali) atque ex parte sui alliciunt ad conformandum. *Quid igitur differentiæ est Ceremoniarum Patronorum inter atque hostes?* Nam utrique capitis adhibent, utrique significationem tribuunt; ubi ergo sententiarum divortium? nam negant Prælatici se Ceremonias in parte Cultus habere; sed inter Adiaphora ponunt. Nempe *Prælatici vocant Ceremonias significativas*, illis docendi vim adscribunt, devotionem fulcrari affirmant atque profundiorem impressionem facere. Has *Ceremonias significativas Mysticas, Religiosas, Doctrinales*, Non-Conformistæ superstitionis & Idololatriæ reas agere, atque exercitio Pietatis noxias affirmare, ut vim ejus obscurantes & distrahentes Animum. Vid. Disputatorem, p. 6. & 78.

Sect. 10. Quis non attonitus obstupescat, cùm vide

videt viros pios & doctos in transversum præjudicio actos? Nempe ipsi significationem tribuunt, quæ significatio, si non est docendi officium, nihil est, somnii umbra est. Et ipsi suis hauserunt oculis, quam vim Prælatici Ceremoniis adscribant. Verùm Vir Doctissimus de Apparentiâ Mali. p. 144. ait. Licèt *Prælatici multos Pontificiorum Superstitiosos & Idololatricos fines rejecerint, unum tamen Finem & Intentionem in earum usu retinent, Mysticam nempe significationem, & hunc esse finem superstitiosum non-Conformistæ probant.* Hinc p. 22. negat esse Indifferentes. R. Probavimus. 1. Gentium ritus ab usu habere suam vim, non ad significandum (quæ à Naturâ est) sed ad observationem obligandam; sicut omnes Consuetudines à tempore vim legis accipiunt. 2. Ceremoniarum Ecclesiæ Anglicanæ usum etiam extra cultum sacrum valere. 3. Cùm Vir Doct. solidis rationibus probaverit, nefas esse naturales rerum habitudines & significationis vim animo versari & ad se transferre, fatebor Ceremonias, quâ Doctrinales, esse illicitas.

Sect. 11. *Magno itaque discrimine Ceremoniæ à Deo institutæ ab Ecclesiasticis separantur.* Nam Deus naturæ addit, quod ex seipsâ non valet promere; Ecclesia Naturalia tantum adhibet: Divinæ partem cultûs faciunt, Humanæ externo cultui ornamentum addunt:

Divinas qui de industriâ omittit, sceleratus est, quando Humanarum neglectus in se peccatum non sit, sed tantum, si cum contemptu & offensâ omittas.

Sect. 12. Cæterum Vir Cl. ad 1 Cor. 14. 40. p. 11. liberaliter concedit, *locum hunc Pauli etiam decorum civili consuetudine introductum complecti; si sit consuetudo Rationabilis, si omissio ejus cultum Dei indecorum reddat.* Et hinc passim (vid. p. 18.) protestatur, *Sacra sine Veste lineâ, Baptismum sine signo crucis decentissimè peragi.* Addit p. 19. *Reverentia & Irreverentia privativè opponuntur. Et inter hæc in subjecto capaci non datur medium. Ergo cum in externo cultu non est irreverentia, cultus ille reverenter præstatur.* R. cultum externum imperari, non imperari gestus & habitus. Hinc inevitabiliter sequitur, nullâ se probabilitate tueri, quod Vir Doct. ait, *Decorum hîc intelligi, cujus omissio indecora sit.* Nam cùm multa simul, quæ in se decus habent, occurrunt, ita ut uno aliquo, licèt omisso, pulchritudo non fœdetur, quis negabit illud addere decus, absentia cujus non sit dedecori? & si addit decus, quâ fide affirmabis, esse nefas adhibere? Neque ipsum negaturum putem, vestem lineam decoram esse, quæ cultui Ministri reliquo addita majus decus conciliet. Fasces cum securibus & aliæ multæ civiles consuetudines maximè Rationabiles sine dedecore omitti possent;

possent; sicut & pleraque illa solennia, quibus decus publicis Actibus conciliari Humanum genus affirmat. Et non Conformistæ contendunt Pauli verbâ etiam de decoro in Civilibus observando intelligenda esse. Reverenter togâ indutum Ministrum se populo ostentare Disputator ex suæ more Gentis affirmat; cujus omissionem sacrum actum irreverentiæ maculâ adspergere Vir Doctissimus haud affirmabit. Addo nullum Populum ad ritus recepto more longoque usu usurpatos teneri; sicut & Potestatem suas abrogandi leges habet. Causa mutationis vel conversio Reip. esse potest; vel cùm Gens subacta extero paret; aut cùm summæ Potestati sic videtur; vel consuetudo alia per gradus usu valet: quæ omnia demonstrant, aliquid addere Decus, cujus omissio indecora non est. Neque dixeris, Habitum Aaroniticum indecorum fuisse, siquid ex innumeris illud omissum fuisset.

Sect. 13. *Jam Crucis signum quod* attinet, constat usum ejus apud veteres frequentissimum fuisse: constat Christum ipsum per illud se Constantino Magno revelâsse. An igitur scelere se obstringet, qui id in fronte baptizati pingit, quod Christus ipse Constantino ut Victoriæ signum proposuit? Sanè si nullus in Ecclesiâ illius usus fuisset, quia Constantino monstratum promittebat Victoriam; an non decentissimè baptizato adhibetur, ut monere-

tur, mundum non nisi per fidem in crucifixo vinci? Jam verò signi inter Christianos frequenti usu recepti usus probatur & commendatur apparitione signi in cœlo, & per quietem à Magno Constantino visi: nam si superstitione polluissent se Christiani, cùm signarent se, an probabilitatis umbra fidem faciet, quod Christus ejus imaginem in aëre atque in somno subjecturus oculis fuisset, quo majoris Idololatriæ occasionem daret? neque dixerim, illud usu ordinario vim habuisse aliquam divinam, nec dubito tamen. Viros miraculorum dono præditos (quales illa adhuc ætas tulit) mediante illo effectum supra naturam gestûs produxisse. Quòd si autem Constantinus Voce cœlitus demissâ admonitus fuit, ut in Hoc Vinceret, quæ religio prohibebit addere verba, quæ significationem Menti imprimant? Ut autem Enselii ista narrantis quis fidem in dubium vocet, causa nulla est: fatetur enim, si quis alius dixisset, non tam facilè potuisset Hominibus persuaderi: Imperatorem autem ipsum sibi narrâsse & confirmâsse juramento Et notatu dignum est, Imperatorem signum illud nominâsse *Crucem*, qui haud dubiè, quod usurpârat oculis in cœlo monstratum, quod dormienti rursus objectum fuerat, vocabulo proprio poterat exprimere. Diversæ igitur Doctorum circa Crucis illius Figuram sententiæ nobis non obstant, aliud nihil molientibus,

mollientibus, quàm ut hinc conficiamus signum crucis, in se, cum quorundam additione verborum, non esse illicitum.

Sect. 14. Neque tamen hinc metuendum, *Ecclesiæ Potestatem dari exorbitandi rebus indifferentibus instituendi Ceremonias.* Quamvis enim negari non possit Ecclesiam Romanam decentiæ legem cumulo ceremoniarum ridicularum fœdâsse, non sequitur tamen, ultra naturalem, (uti loquuntur) quarundam significationem nefas esse progredi. Nam videmus in Civilibus pauciſſimas à Naturâ, pleroſque ab Hominum moribus unius aliquo facto introductos desumi. Et tamen certum est, quòd multitudine non obruantur. Nec ullius Reip. potestatem eas instituendi hactenus eripuit. Igitur quòd in Ecclesiâ numero premamur, à Vitio lascivientis mentis est Potestate illâ abutentis; quando Rerump. Rectores ridiculæ illius absurditatis crimen non incurrant. Unde recta Ratio debet modum numero statuere; sicut proponit Arbitrio eligendas, quas judicat hic & nunc decere.

Sect. 15. Quæ cùm ita sint, mirum, quàm à Rationis sobrietate abierint Viri Boni quidem sed sedulò sibi juxtà atque aliis leviculis scrupulis molesti. Nam Ministri Diœceseos Lincolniensis lib. ad Jacobum Regem citante Doctiſſ. Jeanesio Part. 1. de Plenitudine Christi p. 68. *Christus*, inquiunt, *unicus est Ecclesiæ*

Doctor, qui omnia media instituit, quibus instruamur & admoneamur cujusque sancti officii, eáque perfectè in Scripturis tradita sunt. Qui ergo alia media docendi & de officio admonendi agnoscit, aliunde Doctorem in Ecclesiâ recipit: quæ verba Jeanesius approbat, & sua facit. Idem Disputator urget, & citat 2 Tim. 3. 16.

Sect. 16. Quæ enim (sobrietatem compositæ Mentis appello) consequentia est, Apertio capitis (quæ utique non significat naturaliter) admonet hominem Reverentiæ: Velum in peragendo cultu impositum fœminæ subjectionem in memoriam revocat; Ergo in Ecclesiâ præter Christum alius Doctor regnat. Nam qui considerat officium docendi illis tributum, quid, & quomodo doceant, quo fine instituantur, facilè animadvertet, Christo docendi officium non eripi. Si omnis Ceremonia significans, à Deo non imperata, fidelium cœtibus expellenda est, veteres cilicio abhibito gravissimè peccârunt: nec ad Eucharisticam mensam sedere licebit. Quæ cùm absurda sint, apparet Decentiam Ceremoniarum Mediis Gratiæ à Christo institutis nihil præjudicare. Docet viam salutis unus Christus, & docendo vires adspirat; Ceremoniæ naturali suâ aptitudine tantùm revocant animum, & ad cogitandum suscitant. Magistro ludi doctrinam puer debet; quamvis interim virga doceat, & proposita ante oculos præmia

addant

addant calcar. Unde sequitur, *imbelle esse argumentum, cùm dicant, non possum Ceremoniis in fide uti*; E. R. Perago actum externum à Deo imperatum in fide; Ceremonias addo pro libertatis Jure, quod Deus concessit; neque enim ut panem Eucharisticum in fide sumo, non carnem: ita etiam in fide caput aperio, aut pono genua. Interim Deus probat gestus illos, in se indifferentes, ad bonum finem purâ cum conscientiâ adhibitos.

Sect. 17. Igitur ex dictis patet, Ceremonias, de quibus disputamus, ex Rerum Indifferentium numero desumptas non alio fine adhiberi, quàm quia Decentes sunt, & Decentiâ suâ aliquid significant. 2. Quòd significatio illa non constituat novum Objectum Formale, sed ad Commune Decentiæ Objectum pertineat, ita ut qui Potestatem habet ritus decentes instituendi, penes eum sit significantes instituere. 3. Argumenta, quæ ab Moralitate Actuum sumuntur, ut earum licitus usus vel ex verbo Dei, vel Ratione Naturali probetur, esse prorsus ἀπροσήκοντα, hoc est, non facere ad rem; quia licèt Moralitas Virtutum ab hominum arbitrio non pendet, pendet tamen externorum Morum diversitas, ad quos Ceremoniæ pertinent. Libertas autem Conscientiæ, tantùm abest, ut subjectioni Præpositorum in Domino ad ædificationem condentium legem eximat; ut audire renuens legem Christi fun-

da-

damentalem, quæ multitudo Præpositis subjicitur, violet. Non igitur Libertas est à Christo data, sed Libido, sed Lascivia, sed Furor, cùm suo quisque ea uti judicio vult, ac si nulli teneatur commodare aurem, nulli se subjicere. Hinc Duces Anabaptistarum, hinc Trepidantium ingentes greges traxerunt, qui dum studio Libertatis se Ecclesiæ Auctoritati subtrahunt, in servitutem addicuntur paucorum, quos zeli furor adversus Ecclesiam armavit; ut non mirum, si erroneis imbuti Principiis, quæ ante pedes jacent, videre nequeant. Quod si autem Vir Pius, cætera fundamentum tenens, nec per contentionem schismatis spargens semina, modeste uti recusaverit, cum contra conscientiam non esse cogendum, sed omni tolerandum mansuetudine, instruendumque, ne in Superstitionis negativæ sordibus relinquatur, Sacra Scriptura & Ratio docet.

Sect. 18. *Nam scandalum omni modo vitandum Jesu Christi testimonio docemur. Sed quid captandum consilii, cùm inter Scyllam Charybdinque versaris?* Doctissimus Jeanesius De Apparentia Mali p. 129. *Negat esse casum dubium, ut quis culpabiliter in eam necessitatem adducatur, ut duos contrariam sententiam tuentes propriè scandalo offendat? quia Divina Providentia nemînem in necessitatem peccandi redigat, sed fieri posse, ut unum offendat scandalo propriè sic dicto, cùm peccandi occasionem offert;*

offert; alterum verò ad iram commoveat, ergo displiceat. Idem Disputator p. 111. contendit. Non abnuo; sed addo *aliquem posse duorum necessitate scandalorum constringi*, quorum alterum Activum est, cùm rem illicitam facit; passivum sive acceptum alterum, cùm coram fratre infirmo facit licitum, quod ipse pro illicito habet. In eum locum Apostolum Petrum fuisse adductum res ipsa testatur: nam illicitè se ab Gentilibus subtrahebat, quia metuebat conversos Judæos. (Gal. 2. 11. seq.) Metuebat autem, nè displiceret; (nam aliàs non timuisset.) Displicuisset autem, quia ipsi putabant, ut ipse Petrus Act. 10. 28. habet, ἀθέμιτον contra legem agere Judæum, cùm propius adjungit se, aut accedit ad alienigenam. Vide Act. 11. 1. seq. Hoc si non scandalum continebat, quo frater infirmus facto alterius licito (ad eum modum quo licitis vescens offendebat 1 Cor. 8.) offendebatur, fateor me Naturam ejus nondum assecutum. Petrus à Gentilibus Christianis se subducendo revera peccabat: peccabat autem per Hypocrisin, nè fratribus Judæis videretur peccare. Ita falsi fratres utique offendebantur, cùm Paulus Titum non circumcideret: nec satis facit p. 91. Disputator, cùm offensos negat, sed circumcisionis omissionem tantùm displicuisse affirmat; quia displicuit, quòd à Paulo Mosis legem violatam arbitrabantur. Nam cùm ipse Disputator fateatur,

fateatur, Judæos converſos Moſaicam legem propter Deum Auctorem obſervâſſe, (p. 51.) palam eſt, ejus non-obſervationem in crimine poſuiſſe, vid. Act. 20. 20. Ita Chriſtus Sabbathi die ſanitati reſtituens offendebat, & Apoſtoli ſpinas fricantes & illotis cibum manibus capientes, vide Matth. 15. 12. Indignabantur igitur falſi fratres & fremebant, quòd Paulus ipſorum judicio legem negligeret.

Sect. 19. In hunc locum ſtatim ab ipſo Reformationis tempore Eccleſiam Anglicanam fuiſſe adductam res ipſa clamat. Vulgus reformatum Ceremonias licitas cum maximâ Cleri parte putabat. Et periculum erat, nè, ſi in liturgiâ heri conditâ quid mutaretur, calumniandi anſam adverſariis præberent, & plebi ſuſpicionem injicerent, infeſta omnia eſſe, cùm quis extra Romanam Infallibilitatem pedes efferret; nullibi firmari veſtigia poſſe; adeóque mutatione publicæ liturgiæ tenellos multos abalienarent, atque Pontificios Infallibilitati Papali tanquam ſcopulo affixos confirmarent. Diſſipatæ rès nondum adultæ diſcordiâ fuiſſent, quas tranquilla moderatio favit. Hæc non fingi præſentis Eccleſiæ Anglicanæ ſtatus atque Sacerdotum artes fidem faciunt. Hinc ſequitur, quòd Ceremoniarum in gratiam diſſentientium abolitio ſine ſcandalo infirmorum fieri non potuerit; ut nihil nunc de liturgiâ ipſâ dicam judicio ipſorum confeſſâ

oppreſſâque.

oppreſſáque. Horum ſi rationem Eccleſia præ illis habuit, non eſt, quòd malè habeat; cùm tantæ Multitudinis (cui pleroſque è doctis adde) potiùs ſit habenda ratio, quàm Genevenſis Diſciplinæ introductionem molientium; licèt, finge ſic, Ceremoniæ illæ imprudentiùs retentæ fuiſſent, quas propter inſequentia ſcandala (quod prævideri non poterat) eliminâſſe fuiſſet ſatius.

Sect. 19. Tenemur ſanè à Mali Specie abſtinere, ſi Actio ad mali ſuſpicionem ſuâ naturâ inclinet; ſi judicium noſtrum in Indifferentium uſu (quem alii polluerunt) compertum non ſit. Jam Presbyterum veſte candidâ indutum, quæ mali Species? quid moliri eum vereris? quando ad ravim uſque clamatum ſit, non adhiberi ad conferendam Gratiam.

Sect. 20. Quòd ſi mali Speciem actionibus ex noſtro ingenio addere liceret, nemo inter hominum cenſuras crimine elaberetur. Hinc nefas erit, Concionanti memoriam inſpectione in Concionis capita juvare, nè fanatici Spiritu deſtitutum putent: nec in orando rationem habere temporis, ne impiè Spiritui Sancto ſtatuatur modus: nec cum togâ Scotorum ad inſtar in ſuggeſtum adſcendere, nè Papiſticis Superſtitionibus addictum habeant. Niſi itaque Species illa Actionem, ut umbra corpus, ſequatur, libertate noſtrâ uti licet; quia nemo omnium præſtare ſtultitiam tenetur.

Sect. 21.

Sect. 21. Igitur cùm quis licitæ rei dat operam, ut nec ex facto per se, nec ex Judicio maximæ partis sequatur aut colligi possit suspicio, fas est libertate uti, licèt malam quidam opinionem concipiant. Hispanos atque Italos in Venerem præcipites zelotypias morbo vexari fama fert. Igitur si casuista quis fœminam a sacris arceat, ne formæ pulchritudine cogitationibus impudicis precantes imbuat, non miror. Et finge ex illâ Gente in Angliam delatum adulterii tacitè crimine accusare, quem pro more Gentis cum fœminis liberaliter loquentem viderit, an quis sapientiâ præditus eum scandalum posuisse dicet, & mali Specie offendisse? Sanè vestis lineæ gestatione Presbyter Anglicanus, post tot protestationes, non magis suspicionem Superstitionis, dum Jure Gentium Habitu indifferenti utitur, injicit; quàm Haman injecit Suspicionem adulterii, cùm in lectum Reginæ Estheræ obvoluto capite se supplex projecerat, licèt eum Rex iniquo judicio opprimebat.

Sect. 22. Sed cùm Serenissimus Rex nuperâ Declaratione Ceremoniarum usum cuique liberum permiserit, superest, ut huc tota intendatur cura, quò errorem fratribus eripiamus.

FINIS.

UMI